AN
BELLVM SIT LICITVM,
ET INITA PAX
CVM OMNIBVS SERVANDA SIT,

PER EVMDEM DOMINICVM TVSCVM

In hunc, qui ſequitur, diſpoſita modum, cenſurę q; Sacroſan-
ctæ Matris Eccleſiæ ſubiecta, vt eius illuſtrata lumine
ſanctiſſimæ conſecretur veritati ad Dei
Trini vnius gloriam.

Quæſtio ordine quarta, vna cum quinta,
& ſexta ſeq. ſimul, &c.



BONONIÆ, MDCLXIV.

Typis Iacobi Montij. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRincipe pacis annuente Chriſto ſæuis bellorum extinctis facibus, nobiſq; ſancta reddita pace de euitando bello, ſectandaq; pace agamus, digna nos inuitat occaſio, vt quæ experientia facto præmonſtrauit, ipſa quoq; conſtare videamus ratione. Bellum igitur cum de genere ſit prohibitorum, eo quod per illius exercitationem diuinis contraueniatur præceptis, de homicidijs, furtis, & rapinis, ac alijs huiuſmodi non committendis Deo ſummoperè diſpliceat, dubitandum non eſt, nam ſuis qui contrafacit præceptis, quæ æterna ſunt, æternam quoq; iniquitatem cōmittit, iniquitaſq; omnis peccatum eſt, & peccatum ad mortem *Bar. c.4. n.p. Eccl. c.15. n.13. 21. & 22. Iſa. c. 66. n. 4. & 5. Io. p. c. 3. n.4. 8. 12. & 15. c. 5. n. 16.* neminem verò latet, quod Deus noſter eſt Deus non volens iniquitatem, & virum ſanguinum abominatur, quoniam non diſcenſionis, ſed pacis, & dilectionis eſt Deus *Pſal. 5. n. 5. 7. & 8. Eccl. d. c. 15. n. 22. Apoſt. p. ad Cor. c. 14. n. 33. et ſecunda ad Eoſdem c. 13. n. 10. et P. ad Teß. c. 5. n. 23. et ſecunda ad Eoſdem c. 3. n. 16. Io. p. c. 4. n. 8. et 16.* eos propterea anathematizat, & maledicit, qui bella volunt *Pſal. 67. n. 32.* quia bella volentes eius contendunt impugnare præcepta, eiſq; contrafacere, quorum impugnatores, & contrauentores iam maledictos, & anathematizatos declarauerat *Pſal. 118. n. 21. Ier. c. 11. n. 4. Bar. c. p. n. 19. 20. 21. Dan. c. 9. n. 11.* Huic neq; obſtat, vt ſuo loco latius dicetur, quod Hebræorum Eccleſia multa ſine peccato bella geſſerit, ea quoniam iubente Domino geſſit, volente, quod per eos populi extirparentur idololatrantes, quia in conſpectu eius iam menſura peccatorum ipſorum completa erat, & tempus adeſse cœperat, vt terra illorum euomeret eos, & hos, quibus ab eo promiſſa fuerat, exciperet, ſcriptura. *Sap. c. 12. à n. p. ad 7.* ſic de ea re loquente: *Illos enim antiquos habitatores terræ ſanctæ tuæ, quos exhorruiſti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et ſacrificia iniuſta, et filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, et comeſtores viſcerum hominum, et deuoratores ſanguinis*

à medio ſacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum, vt dignam perciperet peregrinationem puerorũ Dei, quæ tibi omnium carior eſt terra: & Leu. c. 18. n. 24. & 25. Ne polluamini in omnibus his, in quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes, quas ego eijciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra, cuius ego viſitabo ſcelera, vt euomat habitatores ſuos. Neq; ex ijs voluit euadere quemquam, ne illi hos facere docerent cunctas, quas ipſi fuerunt Dijs ſuis operati abominationes, & in Deum ſuum hi quoq; vt illi, peccarent *Deut. c. 9. n. 5.* propterea eiuſdem *Deut. c. 20. n. 16. &* 17. ita ſubiungit: *De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino viuere permittas, ſed interficies in ore gladij Hethæum, Amorrhæum, Chananæum, Therezæum, Heuæum, & Iebuſæum, ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt Dijs ſuis, & in Dominum Deum veſtrum & vos peccetis, quoniam non ignorabat, quod illorum natio nequam eſſet, & malitia ipſorum naturalis, & quod non poſſet mutari cogitatio illorum in perpetuum Sap. d. c. 12. n. 10.* quoniam *fallere Deum nihil poteſt*, nam illi, *ſicut antequam crearentur, erant cognita omnia, ſic & poſtquam creata ſunt, Prou. c. 24. n. 12. Eccl. c. 23. n. 29.* Si ergo Deus nationes illas, eo quod corripi non poſſent, gladio deſtinauit, quis hominum hoc ſcire poteſt? *Sap. c. 9. n. 13.* & hoc ſi ſciret, eos occidendi quis ei poteſtatem dedit? Nam, ſi Summus Pontifex, cui & ſoluendi, & ligandi ſuper terram à Chriſto omnis eſt data poteſtas *Mat. c. 16. n. 19.* Chriſtiana tamen veritate confiteri compellimur, quod diuinorum non poteſt ſoluere obſeruantiam præceptorum, cur temere aſſeruerimus, quod ſæcularis princeps, vel populus occidere poſſit, quoniam bella gerit? etſi ius naturæ, quod eſt immutabile, arctè nobis præcipit, quod alteri non faciamus, quod nobis fieri nolumus *Inſt. de iu. nat. gen. & ciu. §. naturalia, & gloſ. in §. furtum in verbo lege naturali Inſt. de oblig. quæ ex delic. naſc. can. p. d. p. Mat. c. 7. n. 12.* à qua hi gente poteſtatẽ iura naturæ mutandi, & bellando furta, & homicidia cõmittendi receperunt? *l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iu.* Hebræi ergo, etſi bella inſtituerint, & egerint, ea tamen non ex eorum proprio inſtituerunt, & egerunt imperio, & voluntate, ſed Domino iubente, & eo ſemper conſulto, etſi aliter quandoq; fecerunt, ſuæ ſemper pœnas luerunt temeritatis, ita vt eorum qui facta pro contraria adducunt parte,

ex ijs

Digitized by Google

ex ijs nihil omnino probent, ſed bellorum eorum potius qualitates,quam ad rem quidquam faciens,recenſeant,vt ex illarum ſcripturarum lectura manifeſtè patet *Ioſ. c. 11. n. 8. Iud. c. 20. n. 18. & ſeq. vſq; ad 35. P. Reg. c.30. n.8. Iſa. c.30. n. 1. 2. 3. 16. & 17.* quia Deus ſolus eſt vitæ, & necis Dominus *Deut. c. 32. n. 39. P. Reg. c. 2. n. 6. Sap. c. 16. n. 13. Eccl. c. 41. n.6. Tob. c. 13. n.2.* ſola neq; erga Deum infidelitas, quoad nos, belli re eſt inferendi ſufficiens cauſa, quodnam .n. genus per eos publicæ, vel priuatæ in nos illatum dici poteſt iniuriæ, vt bello de ea vindictam expetamus? dices forſan, quia non credunt ea, quæ nos de Deo rectè credimus: non ex eo certè maiorem vlciſcendi habemus cauſam, quantum ad nos attinet, quam, ſi in eos exurgendum eſſe putaremus, quia ipſi in ea cæcitate, paupertate,& miſeria detinentur, in qua omnes nati ſumus, à qua nos ex Dei dono ſubleuati fuimus? *Apoc. c.3. n.17. Apoſt. ad Eph. c.2. n.p. & ſeq. vſq; ad* 10. Reſpondebis forſan: Cæcitas, paupertas, & miſeria, non eſt peccatum, ſicut eſt ipſa infidelitas: ita quidem: Tù ergo vis eos occidere, eo quod ipſi non ex gratia, vt tù, à peccato infidelitatis liberati fuerunt, & natura tales exiſtunt, qualis & tù natura fuiſti? Verte caſum, & finge illos ex gratia fuiſſe conuerſos, & in infidelitate te permanſiſſe: hoc ſic ſtatuto dicas (ſed toto ex animo) Ab ijſne tù occidi velles? certè non: quod tibi ergo non vis fieri, alteri ne facias oportet, quia *hoc eſt Domini, & naturæ præceptum, cui ſicut tota humana natura ſubiacet, ſic ab eo nemo ſe ſubtrahere poteſt Mat. c.7. n.12. Luc. c.6. n.31. Tob. c.4. n.16.*

Diceſne forſan, quia in fide ſum ab hoc præcepto ſolutus ſum? certè non: immo,quia in fide recepti ſumus arctiori obligationis, & charitatis vinculo diuinum hoc ſeruare tenemur præceptum, nam, etſi antiquis dictum ſit: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. His tamen,qui in fide D.N.Ieſu Chriſti ſunt, ipſe dicit: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, & benefacite his,qui oderunt vos: orate pro perſequẽtibus,& calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit, ſuper iuſtos, et iniuſtos, ſi enim tantũ diligeretis, et benefaceretis his, qui benefaciunt, et diligunt vos, quæ vobis gratia,et merces?* nam ethnici,& peccatores hoc faciunt, à quorum ſimus diſtincti operibus, & virtutibus, ſicut excellẽtioribus ſumus donati gratijs,& fauoribus neceſſe eſt, *cui .n. plures ſunt donata*

Digitized by Google

do nalæ gratiarum, & donorum copia, de ijs vberior exigetur fructus, quia charitatis, & dilectionis opus Chriſtianæ eſt index religionis verus Mat. d. c. 5. n. 43. & ſeq. vſq; ad 49. Luc. c. 6. à n. 27. ad 35. c. 7. n. 43. & 47. Io. c. 13. n. 35. non enim alienorum peccatorũ a Deo vindices conſtituti ſumus, nam ſi ipſe, qui eſt ſupremus, & abſolutus Dominus, *mortem tamen non vult peccatoris, ſed, vt magis conuertatur, & viuat Ezech. c. 18. n. 23. & 32. & c. 33. n. 11. & quandocumq; impius ab impietate ſua pœnitendo conuerſus fuerit, non impius amplius, ſed iuſtus erit. Ezech. d. c. 18. à n. 5. ad* 18. *&* 21. 22. 27. 28. 30. *&* 31. *c. 33. n.* 12. 14. 15. 16. *&* 19. conſequenter etiã, qui tempus, ſeù locũ pœnitentiæ, & conuerſionis ab aliquo adimit, eamue quoquo modo impedit, aduerſus Dei voluntatem facit, viamq; veritatis, & iuſtitiæ, quam Dominus pœnitenti deſtinauit, impedit, & prohibet, & animam, in quam nullam habet poteſtatem, occidit. *Eccl. c.* 17. *n.* 20. 26. *&* 27. & quantum in ſe eſt, diuinæ arbitrum ſe conſtituit prouidentiæ: nam certum eſt, quod nos omnes ex gentibus ſumus, ſi ergo illos primos anteceſſores noſtros, ex quibus propagati ſumus, aliquis, antequam ad fidem conuerſi eſſent, interfeciſſet, nos etiam, qui in lumbis eorum eramus interfeciſſet, & Deo ne ſeruiremus, cauſa fuiſſet.

Si fides præterea Dei gratuitum eſt donum, quod nos pro libito noſtro nobis aſſumere non poſſumus, ſed à Dei manu illud expectemus, & recipiamus oportet Apoſt. 2. ad Teſſ. c. 3. n. 2. ad Eph. c. 4. n. 7. p. ad Cor. c. 12. n. 11. ad Rom. c. 12. n. 3. eos, ſi quis occidere voluerit, ſua quia eis non dederit dona Deus, non eos, in quos is huiuſmodi animaduerſionem inſtituit, ſed Deummet ipſum improperat, quod pro ſui petulantia arbitrij ſua eis non diſtribuerit dona, *quaſi figmentum ei, qui ſe finxit, diceret: quid ſic feciſti? Apoſt. ad Rom. c. 9. n. 20. Iſa. c. 45. n. 9. Ier. c. 18. n. 6. Prou. c. 17. n. 5.* Sed huiuſmodi forſan dicet: De his, quibus non eſt oblatum fidei donum, meus non eſt ſermo, ſed de his tantummodo, qui ſibi ipſis oblatum recipere noluerunt, vel contempſerunt, quod non horum quidem grauiſſima ſit culpa, & magnam non mereantur vltionem, non negamus, ſed illa ex manifeſtiſſimo Dei decreto ipſi ſoli Deo reſeruata eſt, de ea ſic Domino *Deut. c. 18. n. 19.* dicente: *Qui autem verba, quæ loquetur in nomine meo, accipere noluerit, ego vltor exiſtam,* & hoc *Apoſt. p. ad Cor. c. 5. n. 13.* confirmans ait: *Eos .n. qui foris ſunt, ideſt extra Eccleſiam, iudicabit Deus,* quorum

vltio

Digitized by Google

vltio in fine ſæculi futura eſt Domino *Mich. c. 5. n. 14.* dicente: *Et faciam in furore, & in indignatione mea vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt vocem meam.* In Euangelica igitur, & gratiæ lege maximam cum Chriſtus in Apoſtolos Chriſtianæ cõtulerit iuriſdictionis poteſtatem, eos tamen aduerſus infidelium proteruitatem non vltores, ſed teſtes: non occiſores, ſed proprij voluit eſſe effuſores ſanguinis in teſtimonium illis dicens: *Quicumq; autem non receperint vos, neq; audierint ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate illa excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis: Ego mitto vos, ſicut agnos in medio luporum, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: cauete ergo ab hominibus; tradent .n. vos in concilijs, & in ſinagogis ſuis flagellabunt vos: ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus, & venit hora, vt omnis, qui interficiet vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Mat. c.10. n. 14. 15. 16. & 17. c.11. n.22. & 24. Mar. c.6. n.11. Luc. c.9. n.10. 11. 12. 14. 15. c.12. n.11. Io. c.16. n.1. 2. & 3. Act. Apoſt. c.13. n.* [illegible] *num. 6.* & tandem ne vlla vnquam hac de re dubitatio noſtram poſſet vexare mentem, exemplo regiſtrato *Luc. c. 9. n. 54. 55. &* 56. ſic ſcriptum eſt: *Videntes .n. diſcipuli, quod Chriſtum noluiſſent recipere Samaritani, ad Chriſtum accedentes ſic locuti ſunt: Domine, vis dicamus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* & conuerſus Dominus increpauit illos dicens: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare:* quaſi diceret: *Si Dei filius eſſe non poteſt, niſi ſpiritum meum qui habet. Apoſt. ad Rom. c.8. n. 9.* quomodo eorum animas perdere vultis ſpiritum meum ſi habetis, cum ſpiritus meus ſit, vt animas non perdam, ſed eas ſaluas faciam? cuius ſententiæ ſenſus ex his, quæ inferius dicentur liquidius apparebit. Sed rurſus forſan dicent: eſto: quod propter infidelitatem contra paganos bella mouere non liceat: contra hæreticos tamen licebit, quia *proprio cum ſint ſubuerſi, & condemnati iudicio, deliquerunt Apoſt. ad Tit. c.3. n. 10.* delinquentes ideo iuſtè occidi poterunt, verum, ſi omnes contra Deum delinquentes iuſtè occidi poſſent, noſtrum nemo impunè abiret, etſi vlli inter peccatores iuſtè occidendi eſſent, ipſi eſſent occiſores, ſcriptura dicente *Pſal. 138. n. 19. Deus ſi occideris peccatores: viri ſanguinum declinate à me:* & *Gen. c. 9. n. 6.* vniuerſali affirmatiua ſic alloquente: *Humanum quicumq; effuderit ſanguinem, fundetur*

ſan-

Digitized by Google

ſanguis illius, & *Mat. c. 26. n. 52.* Domino noſtro Petro percutienti ſeruum Pontificis ſic dicente: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum, nam omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*; & *Apoc. c. 13. n. 9. Qui in gladio occiderit, gladio eum occidi oportet.* Deus .n. Adam propter illius apoſtaſiam non maledixit: Cain verò propter homicidium maledixit, ſummam eius in hoc deterrimum vitium manifeſtans indignationem, dum in ſingulo vlteriori multiplicatas decernit homicidio pœnas *Gen. c. 3. n. 17. c. 4. n. 11. 23. & 24.* dicens: *ſeptuplum vltio dabitur de homicidio Cain: de homicidio autem Lamech, quod ordine ſecundum fuit, ſeptuagies ſepties*, quamquam nondum hominibus eſſet à Deo data lex de nõ homicidio faciendo, cui omnes perpetuò ſubiacent, quoniã æterna eſt *Exod. c. 20. n. 14. Deut. c. 5. n. 17.* ab ea ideo qui declinant, maledicti ſunt. *Pſal. 118. n. 21. Ier. c. 11. n. 4. Dan c. 9. n. 11. Bar. c. p. n. 19. 20. et 21.*

Sed forſan dicẽt qui fidẽ declinant, propter hoc dici etiã poſſe videtur, quòd contra huiuſmodi licitum ſit bellum, verum hoc vnde deducant, adhuc nullibi patet, & hoc eſt id, quod principaliter eſt in quæſtione, & continuò quærimus, benè autem oppoſitum illius, quod aſſerunt, probatum inuenimus *Mat. c. 13. à n. 24. ad 31.* ſub parabola zizaniorũ in Eccleſiæ Dei exortorũ cultura: ſub qua ad eruditionem noſtram introducitur Chriſtus ſub nomine patris familias bonum in agro ſuo ſeminaſſe tritici ſemen, in quo dum poſtea dormirent homines, ideſt diuinis in rebus otioſi manentes ſæculo vacarent, venerit inimicus patris familias, ideſt diabolus, & in medio ſeminis tritici à Patre fam. ſeminati ſuperſeminauerit zizaniorum ſemen, quod eſt hæreſis, & abierit: vtroq; autem in agro germinante ſemine, cum herba creuiſſet, & fructum feciſſet, tunc in medio huiuſmodi Eccleſiaſticæ meſſis manifeſtè apparuerunt zizaniorum genimina, quæ ipſi ſunt hæretici, quod cum factum fuiſſe animaduertiſsent ſerui patris familias, ideſt miniſtri Eccleſiæ Dei, ad Chriſtum acceſſiſſe introducuntur dicentes: *Domine non ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* quibus ille reſpondens ait: *inimicus homo hoc fecit*, quaſi diceret: genimina huiuſmodi non mei, ſed diabolici ſunt ſeminis fructus. Serui autem patris familias purgatam cupientes Domino ſuo tritici conſeruare meſſem dixerunt illi: *Vis imus, & colligimus ea?* quaſi dicerent: debetne de mundano hoc agro extirpari

pari

pari huiuſmodi hæreticorum genus, tamquam adulterina meſſis à ipſe autem in Eccleſia ſua ſtatuens perenne firmiſſimum dogma ait: *Non: ne fortè cum eis ſimul eradicetis, & triticum, ſinite vtraq; creſcere, & in tempore meſſis dicam meſſoribus*, ideſt in fine ſæculi dicam Angelis: colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, quando his dicet: *Ite in ignem æternum*: & triticum congregate in horreum meum: *quando electos ſuos vocabit &c.* illos ideo voluit reſeruari in diem iudicij cruciandos *Pet. 2. c. 2. n. 9. Iud. eius Vnica n. 14. & 15. Apoſt. p. ad Cor. c. 15. n. 25. ad Heb. c. 10. n. 13. Pſal. 109. n. p.* & hos glorificandos in gloriam ſuam, oppoſita enim cum iuxta ſe poſita magis eluceſcant in mundo propterea hęreſes oportuit eſſe, vt ex vtriuſq; comparatione, probati qui eſſent, apparerent, huiuſmodi autem ſunt, qui iuxta veritatis fidei operantur intellectum. *Apoſt. p. ad Cor. c. 10. n. 19. Ier. c. 7. n. 25. 26. 28. Mat. c. 7. n. 24. 25. & 26. Luc. c. 6. n. 48. 49. c. 13. n. 26. 28. Io. c. 13. n. 17. Iac. c. 4. n. 17.* Deus enim vult, quod fidei ſuæ noſmet formam illis exhibeamus, illorum vt obmuteſcere faciamus ignorantiam probata virtute, quæ exemplis, & doctrina conſtat, vt & illi corrigantur, & Deo gloria reddatur *Sap. c. p. n. 4. Mat. c. 5. n. 16. 19. 20. Pet. p. c. 2. n. 12. 15. & 16.*

Cæterum ratio cum rei ſit determinandæ motus, & cauſa, ac ipſius determinationis intrinſeca forma: etſi, à Deo quæ determinata ſunt, nulla à nobis omnino ſit exquirenda ratio, ſed firmiter illius ſemper inhærendum determinationi, eius quia voluntas nobis ſufficiens eſt, prout eſſe debet ratio. *Apoſt. ad Eph. c. p. n. 5. & 11.* ab eo tamen cum expreſsè reddita fuerit, cum per eam eius nobis quoq; notior fiat voluntas, ſic, nobis notior vt fiat, non modo ſine culpa, ſed frugi illam exquirere, & excutere poterimus. Superius ergo cum dixerit: Quod hæretici eradicari non debent, ne cum ijs ſimul & fideles eradicentur, illorum quomodo eradicatione horum contingat eradicatio inquiramus, ab ea vt abſtineamus, & caueamus, oportet. Pro cuius clariori intelligentia præmittendum eſt: *Quod ſicut offerre, & conferre fidei donum à Deo libere pendet, ſic & illud eo, quo ſibi placet tempore, & occaſione ab eo quoq; liberè, & abſolutè pendet. Apoſt. ad Eph. d. c. p. n. 5. & 11. 2. ad Cor. c. 6. n. 2. 3. Iſa. c. 49. n. 8.*

Quemadmodum ex alia Euangelij *Mat. c. 20. n. p. & ſeq. vſq;*

ad 12. parabola liquidiſſimè manifeſtatur, illorum videlicet, qui à Domino ad culturam vineæ (Eccleſiæ videlicet *Mat. c.* 21. *n.* 33. *&* 43.) miſſi, & recepti fuerunt varijs diei horis (ideſt humanæ vitæ ſpatijs, & momentis *Io. c.* 9. *n.* 4. *& Eccleſ. c.* 9. *n.* 10.) ſicut ergo non vna omnes hora diei, ſeu vitæ ſpatio, ſed varijs, & diuerſis momentis, prout vineæ Domino bene viſum, & placitum fuit ad dictæ culturam vineæ vocati, & admiſſi fuerunt, ſic ad fidem, & in ipſius Eccleſiæ corpus, quemadmodum actu practico ab initio factum fuiſſe legimus, & quotidie fieri videmus: *vt in B. Io. Baptiſta ab vtero vocato, & ſanctificato, & ſic in primis vitæ momentis Luc. c. p. n.* 15.

In BB. Fabiano, & Sebaſtiano in iuuenili ætate.

In BB. Auguſtino, & Paulo Apoſtolo in virili ætate.

In BB. Andrea, & Matthæo Apoſtolis in prouectiori ætate.

In BB. Nicodemo, & Dionyſio Areopagita, & alijs in ſenili ætate, & tandem in latrone cum Chriſto D.N. Crucifixo in vltimo vitæ ſpatio, & momento conuerſo, & ſanctificato, quibus ſtantibus, prout ſtant verè, dicimus: Quod omnes ſi Manichæi, & Eccleſiæ perſecutores eradicati fuiſſent, quia huiuſmodi erant, cum ijs ſimul eradicati fuiſſent Auguſtinus, & Paulus, qui fideles non ſolum, ſed fidei propagatores fuerunt, vaſa electionis, & Eccleſię luminaria magna.

Si impius Manaſſes rex Iuda à Deo apoſtatans eradicatus fuiſſet cum eo ſimul, non ſolum conuerſionis illius, ſed totius ſeminis eius fuiſſet eradicatum Sanctum tritici germen, ex quo Ioſias, Zorobobel, Ioſeph ſponſus B. Mariæ ſemper virginis, & matris Saluatoris noſtri, & alij Sancti prodierunt viri *Reg.* 4. *c.* 21. *à n. p. ad* 19. *c.* 22. *per totum; ſecundo Paralip. c.* 33. *n.* 12. *&* 13. *c.* 34. *per totum Ier. c.* 15. *n.* 4. *Mat. c. p. n.* 10. *& ſeq. vſq; ad* 17.

Si Henricus quartus cognomento Magnus Inuictiſſimus Galliæ Rex in illa ciuilium Gallicorum bellorum conflictatione eradicatus fuiſſet, cum eo etiam eradicatum fuiſſet tot Chriſtianiſſimorum Regum glorioſiſſimum germen quorum præclariſſima geſta hiſtorici vnanimiter celebrant religionis.

Si Guſtauus Adulphus Suetiæ Rex, ſplendor, & gloria belli ab initio eradicatus fuiſſet, cum eo ſimul eradicatum extitiſſet glorioſiſſimum Chriſtinæ Alexandræ eius filiæ germen, cuius gloria, & nomen in ſempiternum in Chriſto fulget.

Si

Digitized by Google

Si ergo in pura Dei reſidet voluntate ad lumen fidei eo hominem adducere momento, quo ſibi magis placet, ab illius incipiendo vitæ exordio ad extremum vſq; illius punctum, illi conſequenter, qui ante hunc extremum vitæ punctum infidelem, eo quod infidelis ſit, occidere voluerint, vel occidendum eſſe conſuluerint, diuinæ tamquam miſericordiæ terminum miſerendi præfigere volentes, quæ ſui præter ſe nullum motorem habet *Exod. c. 33. num. 19. Apoſt. ad Rom. c. 9. num.* 15. temeritate peccant *Iudith c. 8. n.* 12. *&* 13.

Secundò, prouidentiſſimò improperantes donatori, eo quod iuxta ſui ceruicationem capitis eius ſancta eis nō diſtribuerit dona, arrogantia quoq; & præſumptione peccant *Malach. c. 3. n.* 14. *&* 15.

Tertiò ſic, vt ſupra arbitrantes theſaurum quoq; fidei, quem in vaſis fictilibus noſtris gerimus non à Deo, ſed ab eorum propria putantes procedere, & pendere virtute, & voluntate, ipſa quoque ſuperbia peccant *Apoſt. 2. ad Cor. c 4. n. 7. P. ad Tim. c. 6. n. 3. &* 4. *Iſa. c.* 10. *n.* 13. *&* 15. omnia enim ſi in incredulitate concluſit Deus, omnium vt miſereretur *Apoſt. ad Rom. c. 11. n. 33.* noſtri ſicut miſertus eſt, eorum ſic in tempore ſibi placito miſereri poteſt, nam & nobis etiam, niſi Dominus Deus ſabaoth reliquiſſet ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles eſſemus, vt *Iſa. c. p. n. 9. & Apoſt. ad Rom. c. p. n. 21. 23. & 26.* ſcriptum eſt. Quinam ergo ſumus, vt Deum, ſua vt in eos dona non conferat, prohibeamus? *Nonne Beatus Petrus Chriſti Vicarius Act. Apoſt. c. 11. n. 17. de ſe ipſo dixit: Quis ego eram, vt Deum prohibere poſſem?* niſi vt cognoſceremus, quod ſicut nos miſericordiam conſecuti ſumus, ſic, vt & alij miſericordiam conſequantur, prohibere non debemus, ne audiamus Dominum dicentem: *Nonne oportuit te & tui miſereri, conſerui ſicut & ego tui miſertus ſum? Mat. c. 18. n. 33. c. 9. n. 13. Luc. c. 9. n. 54. & 55. c. 5. n. 31. & 32. Mar. c. 2. n. 17. Oſe. c. 6. n. 6.* ſi ergo in fide ſtamus nolimus altum ſapere (ideſt id, quod in diuina eſt reconditum mente) ſed timeamus *Dei contemplantes, ſeueritatem, & bonitatem: ſeueritatem in illos, qui ſic ceciderunt: in nobis autem bonitatem, in bonitate ſi permanſerimus: alioquin & nos excidemus, nam et illi in incredulitate ſi nō permanſerint inſerentur, potens eſt n. Deus inſerere illos. Apoſt. ad Rom. d. c. 11. n. 22. et 23.* Quis ergo ſcit, ſciteue poteſt de illis quid cogitauerit Deus? *Iob c. 26. n. 3. Sap. c 9. n. 13.*

Digitized by Google

Apoſt. ad Rom. d. c. 11. *n.* 33. *et* 34. *p. ad Cor. c.* 2. *n.* 16. Aut cuius ipſe eget auxilio, vt eos, quos ipſe viuere facit, exterminare velimus *Iob d. c.* 26. *n.* 2. *Iſa. c.* 40. *n.* 13. *et* 14. *Sap. c.* 11. *n.* 18. 19. 20. *et* 21. *quomodo .n. permanere, aut conſeruari poſſent, niſi vellet nam ſi non vellet, eos quis ſuſtineret? Sap. d. c.* 11. *n.* 26. *Pſal.* 103. *n.* 29. *Gen. c.* 38. *n.* 7. *et* 10.

Cur ergo eas, quas ipſe fecit, & amat, in infernum violenta manu demergere voluerimus animas? *ſi ipſe nihil eorum, quæ fecit odit, et nequidquam inter ſe odiens fecit, atq; conſtituit, ſed vnumquemq; patienter ad pœnitentiam expectat eorum peccata diſſimulans propter pœnitentiam, omnibus .n. parcit, quoniam ſua ſunt omnia, ei enim ſat eſt, cum voluerit, poſſe. Sap. d. c.* 11. *n.* 25. 26. *et* 27. Si ergo omnium dominator tanta cum tranquillitate iudicat, & nos magna cum reuerentia diſponit: inimicoſq; ſuos debitos morti dat tempus, & locum pœnitentiæ, per quæ a ſua poſſint mutari malitia, cur nos, qui ſerui ſumus, abſtulerimus ea? cum per huiuſmodi eius nos voluerit erudiri opera, vt & nos iuſti, humani, & miſericordes eſſemus, vt ipſe eſt, quoniam ad eius nos voluerit eſſe ſimilitudinem *Sap. c.* 12. *n.* 18. 19. *et* 20. *Gen. c.* 9. *n.* 6. *Mat. c.* 18. *n.* 32. *et* 33. *Nemo .n. noſtrum ſibi viuit, et nemo ſibi moritur: Siue ergo viuamus, ſiue moriamur: Domino viuimus, et Domino morimur, et Domini ſumus*, nobis autem ſi non licet alienum iudicare ſeruum, multo minus condemnare *Apoſt. ad Rom. c.* 14. *n.* 7. *et* 8. *p. ad Cor. c.* 4. *n.* 5. *c.* 5. *n.* 13. In diuinæ enim tela prouidentiæ, quam ab initio orditus eſt Deus, & in dies vſq; in ſæculi contexit finem, non textores, non ſtamen ſumus, ſed trama, qui ſi nos intra ſtamina quemadmodum ab eo ſuo traijcimur beneplacito aptari ſinamus, vtilis in ea textura ſumus: ſin: intra inutilium fragmina filorum in vinculum colligata proijciemur: & tela illa, & vinculum iſtud colligatum ſunt illa, quæ D. N. Ieſus Chriſtus in fine ſæculi in monte diuiſionum coram omnibus conſpicienda expandet, vt & illa quanta ab ea contexta fuerit prouidentia: filaq; iſta contumacia iuſtè ſic, vt ſupra, in vinculum iſtud proiecta manifeſtetur, quando occulta cordiũ manifeſtans iſtis dicet, ite in ignem æternum, illis: venite benedicti &c. *Iſa. c.* 26. *n.* 7. *Apoſt. p. ad Cor. d. c.* 4. *n.* 5. *c.* 5. *n.* 13. *Mich. c.* 5. *n.* 14. *Mat. c.* 25. *n.* 41. *et* 34.

Si ergo non diuinæ ſumus diſpenſatores prouidentiæ, ſed eius executores, & operatores voluntatis: nobis ſi dixit: *Non occides*

Exod.

Digitized by Google

131

*Exod. c.*20. *n.*14. *Deut. c.*5. *n.* 17. non occidamus oportet: Si eos maledixit, bella qui volunt *Pſal.*67. *n.* 32. ne maledicti ſimus, ea non velimus oportet, quoniam hæc eſt pars noſtra,& noſtræ ſors propoſitionis, in qua ſtare debemus, colla ſub iugo diuinæ curuantes æternæ prouidentiæ *Sap. c.*17. *n.* 2. *Pſal.* 118 *n.*21. *et* 57. *Eccl. c.* 15. *n.* 11. *c.* 17. *n.* 24. alioquin tamquam fila contumacia non in telam contexemur, ſed in vinculum proiecta colligatum, æterno reſeruabimur igni *Eccl. c.*12. *n.*4. *Pet.*2. *c.*2. *n.*9.

Propter hoc tamen non dicimus, quod ſi quis à fide receſſerit tamquam Eccleſiæ lædens corpus, à quo ſe ipſum voluntariè abſcindit à miniſtris ab ea deputatis puniri non poſſit, quia omne delictum pœnam meretur, dumodo non excedat menſuram ipſius delicti: verum, quod propter hoc bellum inferri queat nulla alia ad hoc vrgente cauſa non facile admittendum videtur, quia ſi Deus nec etiam vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat *Ezech. c.*18. *n.*4. *et* 20. & tanta eum prius, quam condemnet, caſtigat attentione, & tollerantia ſuffert, dans ei tempus, & locum, per quæ ab eius poſſit malitia mutari, vt per eiuſmodi & nos alios iudicantes, eius imitemur bonitatem, eam vt imitantes cum de nobis iudicatur, & nos miſericordiam ſperare valeamus. *Sap. c.*12. *n.*19. 20. *&* 22. *c.p. n.*13. *&* 14. multò etiam minus vult mortem innocentis, quia exterum eſt à natura Dei, vt is puniatur, qui condemnari non debet *Sap. d. c.* 12. *n.* 15. in bello autē ſi impius ſimul, & innocens perit, innoxios autem occidentes, & pœnam vltra menſuram delicti irrogamus, Dei præcepta certe contemnimus prohibentia innoxios occidi &c. *Deut. c.*24. *n.*16. *Reg.*4. *c.*14. *n.*6. *Paral.*2. *c.*25. *n.* 4. Nam ſi nec in hæderam quidem rectè iraſcimur, quoniam Dei creatura eſt, in quá nequidquam habemus, quoniam Dei ſunt omnia, cur in hominem iraſci iurè poterimus, qui non ſolum Dei creatura eſt, ſed ab eo libera abſolutè creata, & ad eius imaginem efficta, & elaborata, ad eius maximè effundendum ſanguinem, quem proteſtatus eſt Deus, ſe requiſiturum eſſe de manu cunctorum hominum, & beſtiarum effundentium eum? *Ion. c.*4. *à n.*6. *ad fin. cap. Gen. c.* 9. *n.*5. *&* 6. *Eccl. c.* 15. *n.* 14. *Pſal.* 23. *n.p.*

Non obſtant modo quæ ex *Deut. c.*13. *n.*5. *&* *c.* 18. *n.* 20. *& ſimilibus* deducta in contrarium facere videntur, quia ex rationibus in textibus illis expreſsè allatis in *priori* nempè *cap. n.* 5. 8. *&* 14.

in

Digitized by Google

in *poſteriori* verò *præcitato n.* 20. manifeſtè patet, quod non ipſa occidendorum infidelitas, ſed benè ipſa fidelium abductio à Deo ſuo per eoſdem infideles factis attentata, expreſſa fuit ipſorum occidendorum cauſa, & ratio, ſeu potius ipſa Dei voluntas, ſic fieri ſibi complacentis, & iubentis. Neq; pariter obſtant, quæ ex *Reg.* 3. *c.* 18. *n.* 40. *&* *quarto c.* 10. *n.* 25. & ex ſimilibus adduci poſſe videntur, quia ibi ſub *prioris cap. n.* 20. & ſub *poſterioris cap. n.* 10. 17. *&* 30. manifeſtè patet: quod non ipſa infidelitas fuit cauſa occidendorum prophetarũ Baal, ſed bene ipſa ſigni voluntaria petitio ab vtroq; à Domino impetita ad hoc, vt per illud palam fieret, qui alterutrius verus, vel falſus eſſet Deus, vt verus colendus, & falſus in poſterum deſerendus eſſet, ſic & veri Sacerdotes in eius gloriam viuerent, falſi delerentur, vt ibi expreſſe dicitur: necnon vt verbum Domini per os Eliæ prophetatum compleretur, quod irritum fieri non poterat *Iſa. c.* 34. *n.* 16. *Io. c.* 10. *n.* 35. *Pſal.* 88. *n.* 35.

Neq; facta huiuſmodi cum caſu noſtro paritatem habent, vt ex ijs ad noſtram conſequentia currat, quia Deus ibi expreſsè mandauerat Hebræis, vt illos bello exterminarent, eò quod peccata illorum iam in eius conſpectu eſſent completa, ijsq; nec vlterius miſereri vellet, & cognouiſſet, quod eorum malitia ita obfirmata eſſet, vt mutari nõ poſſet amplius, vel vnico hoc verbo, quia ſic ſibi placuit, quoniam facta Dei ab homine iudicanda non ſunt. *Leu. c.* 18. *n.* 25. *Deut. c.* 9. *n.* 5. *&* 6. *c.* 20. *n* 16. 17. *&* 18. *Sap. d. c.* 12. *n.* 3. *&* 10. *Ezech. c.* 7. *n.* 8. *&* 9. *Oſe. c. p. n.* 6. *Apoc. c.* 18 *n.* 5. *Apoſt. p. ad Theſſ. c.* 2. *n.* 16. nec eorum exquirenda ratio, quia illorum iudicium, deliberatio, & vltio non inhumana, ſed in diuina ſola reſident mente, & voluntate: quis enim hominum ſcire poteſt, quando impiorum peccata ſint in coſpectu Dei completa? vel quando non amplius eis miſereri voluerit? vel quorum mens ita ſit in malis obfirmata, vt amplius mutari non veleat? vel quis conſilium Dei cognouit? vel quid facere velit inueſtigauit? Si nullus præter ipſum Deum, conſequenter etiam, talia qui præſumpſerit, faciem Dei aſſumit, & pro Deo ſtare nititur *Iob c.* 13. *n.* 9. *&* 10. immo eum antecellere præſumit, quia Deus etiam dignos morte antequam flagellis ſubijciat, cum tranquillitate, & patientia omnia diſponit *Gen. c.* 18. *n.* 20. *&* 21. *Sap. c.* 11. *n.* 21. *&* 22. *c.* 12. *n.* 18. *&* 19. Hebræis ergo, ſi præcepit Deus, vt illas

occi-

Digitized by Google

occiderent nationes, illas occiderent oportebat, quia non eſt hominis, Dei iudicare decreta, ſed eius ſimpliciter obtemperare voluntati, nam ei repugnare, eſt quaſi ariolandi peccatum, & quaſi idololatriæ ſcelus illi nolle acquieſcere *Reg. p. c. 15. n. 11. & 18. & ſeq. vſq; ad 24.* quia voluntas Dei omnis eſt forma boni, id conſequenter, quod vult, ſemper bonum eſt. *Gen. c. p. n. 31. Pſal. 103. n. 28. Pſal. 110. n. 2. Eccleſ. c. 3. n. 11. Eccl. c. 39. n. 20. Iſa. c. 39. n. 8. c. 66. n. 3. et 4. Ier. c. 7. n. 23. Apoſt. ad Rom. c. 12. n. 2.* Si ergo eos ex Dei occiderunt mandato, vtiq; bonum fuit *d. Reg. P. c. 15. n. 11. 18. et 33.* Si vero vult, quod nos non occidamus, non occidamus oportet *Eccl. c. 15. n. 11.* quia eius noluntas eſt forma mali in his, qui aduerſantur illi, & conſequenter facere id, quod non vult, ſemper malum eſt. *Gen. c. 2. n. 17. Pſal 103. n. 29. Eccl. c. 45. n. 23. Iſa. c 65. n. 12. d. c. 66. n. 3. 4. et 5. Ier. c. 7. n. 24.*

His quoq; accedat, quod cum Ieruſalem, reliquaq; terra ſancta à Deo eſſet nobis proponenda, tamquam typus, & figura cœleſtis illius Ieruſalem electorum patriæ, vt illuc noſtrum auidius intenderemus iter *Iſa. c. 33. n. 20. c 54. n. 11. c. 60. n. 14. c. 62. n. 12. c. 65. n. 16. & 18. Bar. c. 5. n. 1. & 7. Ioel. c. 3. n. 20. Apoſt. 2. ad Cor. c. 5. n. 1. & 2.* & ferè per totum, *ad Gal. c. 4. n. 26. ad Heb. c. 9. n. 23. & 24. c. 11. n. 10. c. 12. n. 22. Apoc. c. 3. n. 12. c. 21. n. 2 & 10.* & in alijs quam plurimis locis, ſicut in illa quidquid per Luciferi peccatum coinquinatum inuentum fuerat per Sanctos Angelos Dei electos ab ea eius iuſſu bellando eiectum fuerat, vt illius in poſterum habitatores in æterna per gratiam a Deo confirmati charitate perpetua perfruentes pace non ſibi, ſed Deo in æternum in charitate viuerent *Iob c. 4. n. 18. c. 15. n. 15. Iſa. c. 14 n. 12. Ezech. c. 28. n. 12. & ſeq. vſq; ad 20. Io. c. 8. n. 44. Pet. d. c. 2. n. 4. Iud. ſua vnica n. 6. Apoc. c. 12. n. 7. 8. & 9. Apoſt. ad Eph. c. p. n. 10.* Sic ab Ieruſalem, reliquaq; terra ſancta quidquid ob idololatrantium nationum, ac ſectatorum dæmoniorum ſcelera in ea coinquinatum repertum fuiſſet per populum eius electum ibi inhabitare debentem eius iuſſu bellando reijciendum eſſet, vt tempore poſtea ſuccedente gratiæ ob eius in omnes in ea habitantes exuberantem effuſionem charitatis perpetua perfruentes pace non amplius ſibi, ſed ſoli Deo perpetua viuerent charitate, ipſa exquirebat figuræ ſimilitudo: non mirum ergo ſi ad belli ſimilitudinem in cœleſti Ieruſalem acti, in terreſtri quoq; peracta ſint bella, Ieru-

ſalem,

Digitized by Google

ſalem, donec plenitudo ſuperueniret gratiæ, qua actualiter ſuperueniente non bella amplius, ſed pax: non odium, ſed amor, & charitas in ea perennis eſſet. *Apoc. d. c. 12. n. 3. 4. 7. 8. 9. 10. Deut. d. c. 20. n. 16. 17. & 18. Apoſt. ad Rom. c. 6. n. 11. c. 12. n. 18. ſecunda ad Cor. d. c. 5. n. 18. ad Heb. c. 12. n. 14. Iò p. c. 3. n. 15.* Propter hoc in teſtamento veteri coinquinata non, niſi intercedente expurgabantur ſanguine, & ſine ſanguine non fiebat remiſſio *Apoſt. ad Heb. c. 9. n. 19. 20. 21. & 22. c. 10.* à principio vſq; ad *num.* 12.

Donec tempore ſuperueniente gratiæ vnica tantum ſanguinis oblatione Chriſti emundata omnia in Dei perpetua conſtabiliti charitate, in ea iugiter illi viuentes ab alieni omnino ſanguinis abſtineremur effuſione *Apoſt. ad Heb. d. c. 9. n. 23. & ſeq. vſq; ad fin. cap. & c. 10. n. 12. & ſeq. Vſq; ad 26. Zach. c. 9. n. 10.* quod ex his etiam quæ *Paralip. c. 22. n.* 8. ſcripta reperiuntur, roboratur vbi Dauidi Dominum enixè deprecanti, vt domum maieſtati ſuæ ſibi ædificare concederet, ſic à Domino reſponſum fuit: *Tù multum ſanguinem fudiſti, & plurima bella bellaſti, ideo non poteris nomini meo ædificare domum tanto effuſo ſanguine coram me:* tamen bella, quæ bellauerat, & contra Dei hoſtes, & ex expreſſo Dei iuſſu egerat, à templi tamen fuit excluſus ædificatione, non ex alio quidem, quam quia ipſa templi ædificatio typus, & figura erat Eccleſiæ per Chriſtum principem pacis conſtruendæ, & cuius ipſe inuariabile extiturus erat fundamentum. *Zach. c. 6. n. 12. & ſeq. Apoſt p. ad Cor. c. 3. n. 11.* tantò magis illa per ipſum iam conſtructa, in qua qui ſunt, ac eſſe profitentur, à bellis bellandis, & ab alieni effuſione ſanguinis ſe abſtineant oportet. Prophetæ propterea de Chriſti principis pacis aduentu, & de pace perpetua in eius Eccleſia ſtabilienda prophetantes, ſic aiunt: *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis; Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator &c. & diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſcipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & conflabunt gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces: non leuabit .n. gens contra gentem gladium, nec exacerbabitur vltra ad prælium Iſa. c. 9. n. 6. & 7. c. 2. n. 4. Zach. c. 9. n. 9. & 10. Mich. c. 4. n. 3.* etſi re ipſa non fiat, per hoc

Digitized by Google

hòc tamen non deſinit eſſe verum, quod ita fieri debeat, nam & quotidie peccamus, licet re vera nunquam peccare debeamus. Propterea his, qui in Eccleſia ſunt, comminatur per *Iſa. c. 9. n. 5. 6. & 7.* Quod *omnis violenta prædatio, & veſtimentum omne mixtum ſanguine erit in eſcam, & combuſtionem ignis, quia tumultuariæ huiuſmodi prædationes, & alieni ſanguinis effuſiones,* quæ acerbiſſimi ſunt bellorum partus, *& bella met ipſa ab Eccleſia Dei penitus aliena ſunt,* ac eſſe debent, *quia Deus, qui eam fundauit, pacis, & charitatis eſt Deus,* qui in eius eam ſic conſtabiliuit charitate, & pace, vt ipſe in ea, & illa in ſe perpetuò permanens ab ijs eam auferre nemo poſſet. *Apoſt. p. ad Cor. c. 14. n. 33. c. 16. n. 14. ad Coloſ. c. 3. n. 14. & 15. ad Rom. c. 8. n. 35. & ſeq. vſq; ad fin. cap. Io. c. 14. n. 4. & 5.* Ab aduentu propterea D. N. I. Chriſti teſtamenti tamquam veteris ſuperueniente figurato legalia tamquam in figura nobis propter Chriſtum propoſita antiquata manſere *Deut. c. 18. n. 18. & 19. Io. c. 3. n. 14. c. 5. n. 46. Mat. c. 11. n. 13. Apoſt. ad Heb. c. 8. n. 13. c. 10. n. 10.* propterea de eo in propoſita materia nos commonitos facere volens *Mat. c. 5. n. 43. 44. & 45.* ait: *Dictum eſt antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem* (in euangelica hac, & gratiæ lege) *dico vobis diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos; orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos,* vt & nos ad illius operantes ſimilitudinem illius quoq; dicamur referre indolem filiationis, nam ſicut ſimilitudo eſt in opere vitæ, ſic operum vitæ ſimilitudo eſt index indolis filiationis illius, cuius opera dicimur referre vitæ *Sap. c. 12. n. 19. c. 2. n. 15. Io. c. 8. n. 39. & ſua p. c. 3. n. 10.*

3. Etſi Dei filij ſunt hi, in quibus ſpiritus Dei inhabitat, & ſpiritus Dei charitas eſt, ſine charitate ſint, ipſa prohibet filiationis formalitas. *Apoſt. ad Rom. c. 8. n. 9. P. ad Cor. c. 3. n. 17. c. 6. n. 19. & 20. ſecunda ad Eoſdem c. 6. n. 16. & 17. Io. p. c. 4. n. 8. & 16.* humani verò effuſio ſanguinis ipſi cum ſit exaduerſo contraria virtuti, & actui charitatis *Io. p. c. 3. n. 15. c. 5. n. 3.* conſequenter humanum qui effuderint ſanguinem filij non ſint, ipſa manifeſtat indoles, & ſimilitudo filiationis *Io. d. c. 8. n. 39. & 44. & ſua p. c. 3. n. 8. 9. 10. 12. & 15.* quia *arbor bona malos non poteſt facere fructus Mat. c. 7. n. 18. c. 12. n. 33. Luc. c. 6. n. 43. & 44. Iac. c. 3. n. 12. Io. p.*

Digitized by Google

c.3.n.9.& c.5.n.17. propterea inimicorum dilectio propria, & naturalis dicitur eſſe indoles, & index diuinæ filiationis *Io.c.13.num.35.* nam ſi eos tantum diligeremus, qui nos diligunt, ab alijs, qui filij non ſunt, & ethniciſmet ipſis in hoc differentes non eſſemus, quia & ipſi diligunt eos, qui ſe diligunt, nec ſimiles eſſemus Deo patri noſtro, qui, vt ſupra, bonis, & malis, iuſtis, & iniuſtis benefacit: benefaciens immenſam ſuam manifeſtat charitatem, ſequè nobis Deum præbet, qui *verè charitas eſt. Mat.d.c.5.n.45.& 46. Luc.d.c.6.n.32. Sap.c.11.n.25. Io.p.d.c.4.n.16.& 20.* propterea ſcriptum eſt: Quod ex ſanguinibus, prout erat Cain, qui ſunt, verè filij non ſunt *Io.c.p.n.13.* propter quid enim Cain occidit fratrem ſuum? quia opera eius maligna eſſe conſpiciebantur, huiuſmodi verò cum eſſent, ipſe quoq; ex maligno eſſet, conſequens erat, quia ſicut ex fructu cognoſcitur qualis ſit arbor, ſic ab indole, & operum ſimilitudine cognoſcitur, cuius ſit quiſq; filius *Io.d.c.8.n.39.40.& 44.& ſua p.d.c.3.n.8.10.12.15.& c.2.n.9.10.& 11.& tertia n.11.*

Nam & adulteri ex teſtamenti veteris lege, ſic illa iubente occidendi erant *Leu.c.20.n.10. Deut.c.22.n.22.* In euangelica autem lege de hoc interrogatus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuper adultera ſic reſpondit: *Qui ex vobis ſine peccato eſt, primus in eam lapides iaciat Io.c.8.n.7.* ſciens .n. quod per aduentum eius lex teſtamenti veteris antiquata manſiſſet, ab alieni ideo vt eos auerteret effuſione ſanguinis euangelicę exaduerſo contraria legi, tacita hac repræhenſione, ſciens eos omnes eſſe peccatores vſus eſt, quaſi diceret: Putatiſnè, quod adultera iſta præ cæteris peccatrix ſit? Non: ſed omnes vos peccatores eſtis, & niſi pœnitentiam egeritis peribitis omnes, vt de Galilæis communicantibus cum ſacrificijs Pilati dixit *Luc.c.13.n.1.2.& 3.* quod ergo vobis fieri non vultis, alteri ne feceritis, quia *in hoc vno naturæ præcepto vniuerſa adimpletur Lex. Mat.c.7.n.12. Apoſt. ad Rom.c.13.n.10. ad Gal.c.5.n.14.* Nam in quo alios condemnare, & punire quæritis, & vos condemnari, & plecti poteſtis. *Apoſt. ad Rom.c.2.n.1.& 2.P. ad Cor.c.4.n.5.* A Domino ergo ſi miſericordiam expectatis, alijs & vos miſereamini oportet, quia *Domino fœneratur, qui alijs miſericordiam præſtat Mat.c.5.n.7. Eccl.c.18.n.14. Prou.c.19.n.17. Magis .n. vult miſericordiam Deus, quam ſacrificium. Oſe.c.6.n.6. Mat.c.9.n.13. Sap.c.12.n.19.*

Ve-

Digitized by Google

Verum, ne prolixius diuagantes ſuperuacuè laboremus dicimus, quod fundamentum, ſuper quod aduerſa pars ſuam fundat intentionem, nullam omnino ſubſiſtentiam habet, quia re vera neque etiam ex lege veteris teſtamenti ſola infidelitas ſufficiens erat belli mouendi cauſa, non tantum ex præmiſſis rationibus, & auctoritatibus, & maximè ex præclariſſimo illo Iephtæ exemplo regiſtrato *Iud. c.* 11. *n.* 27. ſed & ex illo Ioſiæ Regis Iuda, qui etſi eſſet vir Deo adeo fidelis, religioſus, pius, & diuinarum cultor traditionum, veruntamen quoniam Nichao Regi AEgypti, etſi viro infideli, bellum ſine cauſa inferre voluit, *Deo ideo volente oppidò vulneratus & occiſus fuit* 3. *Reg. c.* 13. *n.* 2. *Reg.* 4. *c.* 23. *n.* 29. *& ſecundo Paral. c.* 35. *n.* 20. *&* 23. ex quibus in claris deductum eſſe videtur, quod ſola infidelitas non eſt ſufficiens belli mouendi cauſa. Nametſi B. Michael Archangelus ex Dei iuſſu contra dæmonem micaſſet, & illũ è cœlo proiiceciſſet, & ſciret Dei perpetuum inimicum fore, hoc Deo manifeſtante *Apoc. c.* 12. *num.* 7. *&* 8. *Iob. c.* 41. *num.* 3. cum eo tamen alias contendens ei non eſt auſus inferre iniuriam, ſed tantum dixit *imperet tibi Deus Iud. vnica n.* 9. nos verò eos, quos in æternum Deo inimicos fore neſcimus, non iniuriam ſolum, ſed vulnera, & naturalem inferemus mortem, ſed & æternæ damnationis, ſi non abſolutam, celeriorem ſaltem eis præſtabimus anſam? alteri ergo ne facias, quod tibimet ipſi fieri nolles, quoniam cuncta bona facit Deus in tempore *ſibi beneplacito Eccleſ. c.* 3 *n.* 11. *Iſa. c.* 49. *n.* 8. *Apoſt.* 2. *ad Cor. c.* 6. *n.* 2.

Si ergo à bello etiam aduerſus infideles nulla alia bellandi iuſta intercedente cauſa, abſtineamus, oportet, vt iam demonſtratum fuit, quia *bellum eſt de genere prohibitorum Pſal.* 67. *n.* 32. ab eo tanto magis nobis abſtinendũ erit aduerſus eos, cum quibus fœdus iniuerimus pacis, & rurſus tantò magis, ſi vinculo iuramenti cõfirmata fuerit, prout vniuerſaliter fieri conſueuit *can. omne quod in pacis fœdere* 22. *q. p.* quia ſi altera ex paciſcentibus partibus ea, inter eos quæ ſimpliciter promiſſa ſunt, nõ ſeruans *mortaliter peccat. can. monet te verſ. nunc verò eadem* 22. *q. p. quoniam os, quod mentitur occidit animam Sap. c. p. n.* 11. tantò grauius illa peccabit, ſi conuenta huiuſmodi iureiurando confirmata fuerint *d. can. monet te verſ. quartò enim, per quod iuratur, & can. prædicandum d.* 22. *q. p.* Si hæc, inquam, in ſimplicibus conuentionibus, id tanto magis procedet in pace iurata, quam etiam nulla abſq; conuen-

tione, & iuramento cum omnibus hominibus habere debemus *Apoſt. ad Rom. c.12. n.18. ad Heb. c.12. n.14.* conſequenter quoq; bellum mouendo, pactum violando, pacem frangendo, irritum reddendo iuramentum *grauiſſime peccemus, conſequens eſt, & nos maximè quorum Deus non diſcenſionis, ſed pacis eſt Deus, cui ſeruire ſine pace non poſſumus, quoniam fructus iuſtitiæ, quam ſequimur, ſeminatur in pace facientibus pacem. Apoſt. ad Rom. c. 12. num. 14. p. ad Cor. c. 14. num.33. c. vnico de off. cuſtodis in extrauag. Iac. c.3. num.18.*

Huic neq; obſtat, quod vulgo dicitur: quod infidelibus non ſit ſeruanda fides, quia hoc intelligendum eſt de infideli illo, conuentam qui fregit fidem, quia in omni partium conuentione tacita hæc ineſt conditio, vt altera ex paciſcentibus partibus alteri cõuenta præſtare debeat, ſi ſibi ab altera viceuerſa promiſſa præſtentur, quia in hoc contraxit, nec alias, alioq; modo contraxiſſet, ipſaq; id poſtulat æquitas, vt contractus non claudicent, ſed vltrò, citroq; obligatorij ſint *l. cum proponas la ſeconda in fin. C. de pactis Caſt. conſ.413. incipien. quia breue ſpatium in prin. lib. p.* ita vt regula illa non de pagano, vel apoſtata intelligenda ſit, quippè qui ſolum Deum vltorem habent *Deut. c. 18. n. 18.* ſed de infideli illo, quem diximus, conuentam qui fregit fidem ea, quæ promiſerat, non reddendo, & quod ita ſit, manifeſtè patet *ex Ezech. c. 17. à n.15. ad* 20. vbi Dominus acriter populo Iſraelitico cõminatur, quod initum fœdus cum rege Babylonis non ſeruaſſet, qui vtiq; Deo infidelis erat, & quod iuramenta fœdere in illo appoſita cõtempſiſſet, quia iuramentum eius tangit maieſtatem, per quem iuratum eſt, illud conſequenter qui frangit non partem, *ſed iuratam contemnit maieſtatem Ezech. d. c. 17. n. 20. et d. can. monet te d. verſ. quanto n. per quod iuratur. Mat. c. 5. n. 33. c. 23. à n. 19. ad 23. Eccl. c.23. n.13. 14.*

Propterea etſi Ioſue, Iſraeliticuſq; populus ex Dei præcepto expreſsè prohibitus fuiſſet *cum Gabbaonitis pacem habere Exod. c.23. n.32. c.34. n.15. Deut. c.7. n.2. c.18. n.20.* Hiq; timore perterriti ex iis ſe non eſſe nationibus, cum quibus pacem habere non poſſent, ſed aliunde de longinquo venire ſimulantes ab eo iuratam extorſerint pacem: adeo vt huiuſmodi pax *ex defectu conſenſus ipſo iure nulla dici poſſet l. ſi decem ff. loc. eo quia nullus ſine conſenſu poſſit eſſe contractus l. conſenſu ff. de act. et oblig. conſenſui*

autem

autem nil tàm contrarium ſit, ipſe quàm error l. nihil conſenſui §. non videtur ff. de reg. iu. quo fieri poſſe videbatur, vt ſine iniuria ſe poſſet ab obſeruantia retrahere pacis, nihilominus tamen, quia iuramentum non partem, cui iuratum eſt, ſed ipſum, per quem iuratum eſt, reſpicit Deum, eiuſque tangit maieſtatem, & honorem, propter hoc Ioſue, cunctuſq; populus periurij verentes maculam, & iuratæ indignationem maieſtatis cum Gabbaonitis iuratam ſtatuerunt ſeruandam eſſe pacem, iuſtèque egerunt, & eorum obſeruantia Deo placuit, ab eoq; approbata fuit, *dum Gabbaonitis à reliquis Amorrhæis oppreſſis ab Hebræis ſuccurrendum eſſe iuſſerit Dominus. Ioſ. c.9. à num.* 15. *ad* 21. *et c.* 10. *num.* 5. 6. *et* 8. Saul autem è contra zelo motus indiſcreto quaſi aduerſus præfatos Gabbaonitas pugnans, pro religione pugnaret, eo quod & hi ex ſtirpe eſſent Amorrhæorum, contempto ideo Ioſue, maiorumq; ſuorum iuramento frangens pacem, eos impie expugnauit, pro quo ſcelere indignatus Dominus populum fame percuſſit, ſtirpemque Saul per manus Gabbaonitarum deleri voluit, vt indé ediſceremus ab huiuſmodi nos abſtinere noxa. *Reg.* 2. *c.* 21. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *et* 14. non enim fit pax, vt excitetur bellum, ſed benè fit bellum, vt inde perfecta exſuſcitetur pax; bellando ergo etiam pacifici ſimus oportet, vt eos, quos expugnamus placide vincendo ad pacis vtilitatem perducamus, non vt ad eam perductos iterum expugnantes exterminemus, nam ſi hoſtibus, dum hoſtes ſunt incorrupta eſt ſeruanda fides, cur per pacem iam amicis factis ijs ſeruanda non erit? maximè eam ſi Domino iureiurando ſeruare promiſerimus? *can. noli exiſtimare verſ. non enim pax quæritur, et verſ. fides enim* 23. *q. p. Mat. d. c.* 5. *n.* 33. *et c. p. de treg. et pace.*

Si præterea nec Iudæos, nec Gentes propter Deum ſcandalizare debemus, ne ſimus cauſa, vt per eos eius nomen polluatur, vel blaſphemetur *Apoſt. p. ad Cor. c.* 10. *num.* 32. *ad Rom. c.* 2. *num.* 24. *Iſa. c.* 52. *num.* 5. *Ezech. c.* 20. *num.* 9. *et c.* 36. *num.* 20. Cur frangentes pacem Dei noſtri iuramenta parui pendere oſtenderimus, vt contemptibile apud eos fiat nomen eius? Sique eam frangere magna iniquitas eſt, eam conſequenter qui facit, vt frangat eam ad capiendum dicetur committere iniquitatem, cuius iniquitatis amator Antichriſtus cum electis

pacem

Digitized by Google

pacem facere finget , cumq; omnes dixerint pax , pax , & ſecuritas, repentinus eis tunc ſuperueniet interitus , quaſi in vtero habenti, quoniãeã franget,& eius manus effugiet nullus *Ezech. c.7.n. 25. & 26. c. 21. n. 23. Apoſt. p. ad Teſſ. c.5. n. 3. Apoc. c. 13. n. 7.* Nulli ergo vnquam huiuſmodi inijciendi laquei ſuo anſam præbeat opere quiſquam, ſciens ; quod , *per quæ peccat quis, per ea & torquetur Sap. c. 11. n. 17. Ezech. d. c. 7. n. 27. in fin.*

Quo-

 143

Quomodo primi parentes noſtri cognouerint ſe eſſe nudos ex *Gen. c. 3. n. 7.*

Quæſtio 5.

AD dicendorum dilucidiorem intelligentiam quædam præmittenda eſſe duximus, & primo. Quod innocentia ſinceriſſima eſt animi puritas à Dei proueniens gratia, & liberalitate, qua hi, in quorum natura Dei dono eſt ingenita, creatarum finibus, & vſibus contenti rerum à Deo inſtitutis illos haud prætereuntes in rectitudine, & ſimplicitate cordis perfecta Deo, & creaturis ſuis innoxij, & inculpabiles ſe perpetuò exhibent *Iob c.p. n.* 1. *&* 8. *c.* 2. *n.* 3. quæ alio nomine Dei dicitur amictus, ſeu indumentum, quo qui operti ſunt nihil, quod coinquinatum ſit, conſpiciunt, eo vero amoto ſtatim verecundiora appareant conſequens eſt *Ezech. c.* 16. *n.* 8. *Ier. c.* 13. *n.* 22. *&* 26. *Apoc. c.* 3. *n.* 18. *c.* 16. *n.* 15.

Secundò. Quod primi parentes noſtri in huiuſmodi innocentiæ ſtatu à Deo creati, ab inſtanti quoq; creationis illorum eis tamquam congenito ſunt plenè perfruiti. *Apoſt. ad Eph. c.* 4. *n.* 24.

Tertiò. Quod quæcumq; a Deo creata fuerant, vna cum vſibus, & finibus ab eo præordinatis, erant valdè bona in ſemet ipſa *Gen. c.p. n.* 31. *Eccl. c.* 39. *n.* 20. *Pſal.* 110. *n.* 2.

Quartò. Quod anima intellectiua noſtra cum in hoc ſenſibili corpore noſtro maneat, tamquam in caliginoſo congenita carcere, quæcumq; etiam interius ad eam adueniunt, de foris per ſenſuum portas ad illam adueniant neceſſe eſt *Pſal.* 141. *n.* 8. *Sap. c.* 9. *n.* 15. *Iob c.* 4. *n.* 19. *c.* 31. *n.* 7. *&* 8. *Ier. c.* 9. *n.* 21.

Quintò. Quod noſtrę principiũ motus volũtatis ipſa eſt cognitio, quoniã illa ad ignota non fertur, cognitionis verò noſtræ ipſi ſunt ſenſuum obiectus *Sap. c.* 6. *n.* 4. *&* 6. *c.* 15. *n.* 5. *Eccl. c.* 9. *n.* 3. 5. 7. 8. *&* 11. *c.* 25. *n.* 28. *c.* 36. *n.* 40. *c.* 42. *n.* 12. *Pſal.* 118. *n.* 37. *Prou. c.* 7. *n.* 5. *Apoſt. p. ad Teſ. c.* 5. *n.* 22.

Cum igitur humano huic noſtro quæcumq; accedunt intellectui ab ipſis hauriantur ſenſuum obiectibus: vniuerſa verò, quæ primis parentibus noſtris innocentiæ hunc adhuc ſtatum retinentibus

tibus

Digitized by Google

tibus obijcerentur, eſſent non ſolum per ſe, ſed & eorum rectis in vſibus à Deo præordinatis non mala, ſed cuncta valdè bona, ex his etiam conſequens eſt, quod nullum ab eis cognoſceretur malum in illo innocentiæ ſtatu, non quia eorum intellectus, cuncta cognoſcere non eſſet aptus, ſed, vt dictum fuit, quia cum nullum adhuc eſſet malum, & ex obiectis nullum malum, ſed cuncta valdè bona, & ad bona vniuerſa præordinata, nō ideo erubeſcebant, quoniam erubeſcendum nullum intellectibus eorum offerebatur obiectum.

In illo enim innocentiæ, & puritatis ſtatu in ſe, & circa ſe quęcumq; erant, indèq; effluere videbant, à Dei tamquam egreſſa manu, in ipſiuſq; decore elaborata ſapientiæ, in ipſo Dei conſpicientes lumine honeſta cuncta eſſe, & valdè bona, eſſeq; & ipſi in lumine, ſic & illa manifeſta non erubeſcebant, quoniam in Deo facta, atq; conſpecta non dedecus, ſed lumen, & ornamentū erant *Io. c.3. n.21. c.7. n.4. Apoſt. p. ad Cor. c.12. n.24. ad Epheſ. c.5. n.13.*

Conſonantium .n. huiuſmodi concentus, & concordia rerum decoris flores, & honeſtatis fructus diuinæ erant ſapientiæ eis omnia continendi virtutem dantis, atq; in ea conſeruantis eos *Eccl. c.24. n.23. Sap. c.10. n.1. & 2. Apoſt. ad Eph. c.5. n.9.*

Quædam ergo etſi verecundiora cæteris nunc eſſe nobis videantur in corpore membra, eorum tamen tunc non erubeſcebant nuditatem *Gen. d. c.2. n.25* quia illa à Deo creata erant non immunditiæ, ſed ſanctitatis, & honeſtatis vaſa *Sap. c.15. n.7. Ier. c.18. n.4. & 6. Apoſt. ad Eph. d. c.4. n.24. p. ad Teſſ. c.4. n.4. & 7.*

Cuncta ergo creata à Deo ſi erant valdè bona, non in tenebris, ſed in lumine eſſent digna erant *Io. d. c. 3. n. 21. & c.7. n.3. & 4.* Si honeſta, quod in aperto eſſent, non dedecus, ſed ornamentum erat. *Sap. c.7. n.13. Apoſt. p. ad Cor. c.12. n. 24. ad Eph. c. 5. n. 13. Eccl. c.26. n.19. & 20.*

Siq; oculi prætèrea intuitus boni bona: mali autem mala videt *Eccl. c. 14. n. 10.* hi quomodo oculo conſpicientes Dei, omnium indexqui bonorum eſt, & quem ipſe ſuper corda noſtra poſuit, vt nobis oſtenderet magnalia virtutis eius, cuius plena ſunt omnia, mala conſpicere poterant? *Eccl. c.17. n.7. c.16. n.30. c.50. n.31. Pſal. 103. n.28.*

Nam, quibus ſplendet Dei lumen ſuper caput illorum, & ipſi cuncta in eius vident lumine, & cuncta, quæ vident, à lumine illu-

minata

Digitized by Google

145

-minata Dei ſunt & ipſa lumen, eo ergo, qui videt, & quæ videntur ſplendor ſunt, & decor ad lumen eius *Iob c.29.n.3. Pſal.* 138. *n.* 12. *Eccl. c.* 24. *num.*45. *Iſa. c.* 42. *& c.*49. *n.* 6. *Luc. c. p. n.*79. *Io. c.p.n 9. & einſdem p. c. p. n.*5. *&* 6. *Apoſt. ad Epheſ. c.* 5. *n.* 13. etſi ea, qua à Deo decorati erant, vniuerſa intuebantur innocentiæ, & puritatis acie, eorum quidquam quomodo eis immundum videri poterat, ſi *mundis ſunt omnia munda? Apoſt. ad Tit. c. p. n.* 15. *Prou. c.* 21. *n.* 8. Vitij ergo ſorde nulla eorum inquinata mente, eiſq; nullo oblato ſordido obiecto, eorumq; membro nullo non cohoneſtato ſanctitate, & gratia, ſed omnibus ſplendoris diuinæ lucis decore illuminatis benè non erubeſcebant, nullam quoniam habebant erubeſcendi cauſam *Iob c.5. n.6.*

Mala verò, ſi ſic penitus non videbant, viſioni quoq; malorum clauſum haberent oculum, conſequens eſt, viſionis autem abſentia malorum, bonorum quoq; cum infirmior reddatur viſus, viſionis pariter bonorum nondum benè adapertum haberent oculum, etiam conſequens eſt, non viſiuæ quidem defectu facultatis, ſed quia oppoſita ſicut iuxta ſe poſita mutua manifeſtiora fiunt, diſtantiarum, ac differentiarū vtriuſq; comparatione, altero ſic in occultis abdito mutua hac deficiente comparatione obſcurū alterum quoq; relinqueretur, conſequens erat: bona ergo non ita perfectè, vt oportebat, cognoſcebant, nec quanta, & qualia erant, æſtimabant, vt feciſſent, mala ſi verè cognouiſſent: ſanitate .n. & pace inter mundana hæc quid pretioſius eſt? quanti tamen eæ ſint, æſtimat nullus, in ægritudinem, & bellū niſi inciderit prius, iuxta illud:

Non conoſce la pace, e non la ſtima,
Chi prouata non hà la guerra prima.

oppoſiti .n. experimento ſingula quanta ſint metientes perfectè ediſcimus, qui .n. non eſt expertus, quid cognoſcit? qui non tentatus, quid ſcit? *Prou. c.* 24. *n.* 32. *Eccl. c.* 34. *n.*9. *&* 10. *Apoſt. ad Heb. c.*5. *n.*14.

Bonis ergo etſi abundè perfruerentur, illa tamen cum neq; experimento per eorum probationem contrarij, neq; ipſa mentis animaduerſione per ipſummet actualem rationis diſcurſum eſſent per eos plenè cribrata, ac ventilata, quanta conſequenter, & qualia eſſent non reflectebant, ea nec dona recogitabant eſſe Dei, ideo donatori optimo, eorum prout exigebat naturæ debitum,

 diui-

Digitized by Google

diuina q; poſcebat voluntas,& meritum, de illius in eos tanta gratias non agebant liberalitate, & gratia *Apoſt. p. ad Teſſ. c.5. n.17. Luc. c.17. n.17. 18. Io. c.4. n.10.* Bona ergo tantumodo qui poſſidet, cum inter bona, & mala, quæ, & quanta interſit diſtantia, & differentia non diſtinguat, neutrum ſicut noſſe dicitur *Deut. c. p. n. 39.* Sic è contra à bono ad malum, ab vno tamquam extremo ad aliud percurrens, quæ, & quanta inter vtrumq; interſit facto permetiens, & probans diſtantia,& differentia vtrũq; probè noſſe dicitur, quia diſtantijs, & differentijs omnes terminatæ, & notæ manent rerum ſubſtantiæ.

Cum dona autem,quæ largitus eſt, non auferat Deus, & bona, quæ fecit, non infirmet, ſua ſed conſeruet, & augeat ſuperemimentia bonitatis *Deut. c. 2. n. 5. Eccl. c. 47. n. 24. Pſal. 83. n. 13.* propter hoc in innocentiæ ſtatu gratuito creati,quomodo à tanta bonorum recederent perfruitione,via adhuc patebat nulla,donec in præcepto bonis limite poſito ex immenſa Dei liberalitate illam pro libito vel non tranſgredi, vel tranſgredi libertatem haberent, illam nõ vt tranſgrederentur,ſed vt cum potuiſſent tranſgredi, & tranſgreſſi non eſſent, eis gloria eſſet æterna *Eccl. c. 31. n. 10.* In ligno igitur præcepto ſic, vt ſupra, inter bona, & mala, limite tamquam intermedio ab inuicem ea dirimente firmato; quem tranſgredi volentibus liberum iam patere incipiebat iter,& per illud ad mala tranſire poterant, tranſeuntes autem cum ab extremorum horum vno ad aliud directo percurrerent tramite, qua quoq; & quanta, vt dictum fuit, inter ſe ſe diſtarent facto permetientes, & probantes diſtantia, & differentia, ea ſic ipſo cœperunt cognoſcere,& cognouerunt facti experimento; ex quo quoq; ediſcimus, quod ipſa oculi viſionis malorum aperitio ipſummet fuit mali experimentum *Gen. c. 3. n. 11.* mala .n. vere nec vidiſſent, neq; cognouiſſent vnquam, mala ſi verè non feciſſent, ſed in ipſa iugi perſeueraſſent innocentiæ puritate *d. Pſal. 83. n. 13.* Innocentia .n. cum ſtola eſſet illa, qua ab eorum exordio creationis à Deo veſtiti fuerant, ea etiam circumdati, & operti ſuam nec nuditatem, nec mala videre poterant, conſequenter etiam eam niſi perſcidiſſent, [redacted] eorum nuditatem, & mala nunquam vidiſſent, eamq; perſcidiſſent nunquam, niſi eis impoſitum fuiſſet præceptum de vetito non comedendo ligno,quia à præcepto ipſa orta eſt cognitio peccati *Apoſt. ad Rom. c. 3. n. 20.* à cognitione

Digitized by Google

147

verò facultas illud ex arbitrio committendi, quia, ſicut in homine principium agendi ipſa eſt voluntas, ſic principium actus voluntatis ipſa eſt cognitio: ideo dicitur, quod in voluntate nequidquam eſt, quod non fuerit prius in intellectu.

Per præceptum igitur habita cognitione peccati, & per cognitionem facultate illud ex arbitrio agendi, ante hominem tunc dicitur à Deo poſita fuiſſe vita, & mors: bonum, & malum, vt ad alterutrum eorum porrexerit manum, daretur illi. *Eccl. c. 15. n. 18.* propterea ſcriptum eſt: quod, *ad mala qui acceſſerint, mala apprehendent eos, & picem qui tetigerit inquinabitur ab ea Eccl. c. 7. n. p. c. 13. n. p. c. 21. n. 2.*

Bonorum verò ex arbitrio eligendorum, malorumq; reprobandorum methodus, & ratio, ipſe cùm ſit rationis diſcurſus, quem noſtras ante omnes debemus præmittere actiones, vt ex eo formetur conſilium, ex conſilio iudicium, humani quod noſtri proprium eſt acumen oculi, quo cuncta diſtinguimus, diſtinguentes perfectè cognoſcimus: nam ſimplex ille rerum intuitus, homini cum ſit cum cæteris animantibus communis, eius quoq; non proprius poteſt dici oculus, ſed benè ipſa ratio, qua ſicut ſpecie à brutis ſubſtantia diſtinguitur, & ſeparatur, eius ſic oculi, qui eiuſdem indiuiſæ ſunt ſubſtantiæ partes, ab oculis eorum diſtinguantur, & ſeparentur oportet: corporeus ideo oculus, humanæ etſi ſit materiale viſionis inſtrumentum, & porta, non proprius tamen hominis eſt oculus, ſed ipſum ratiocinium, ex quo, vt dictum eſt, emergit conſilium, ex conſilio iudicium, noſtrorum quod proprium eſt oculorum lumen, & lumen hoc noſtra propria eſt vita *Prou. c. 2. n. 11. c. 3. n. 22. c. 4. n. 25. 26. & 27. c. 8. n. 12. & 20. Io. c. p. n. 4.*

Singula ergo, ad quæ hominis dirigitur intuitus, is ratione priuſquam ea operetur, quæ, & qualia ſint inſpicere, atq; animaduertere debet, vt ſi recta, & bona fuerint, agantur, ſin praua, & mala, dimittantur *Deut. c. 32. num. 28. & 29. Pſal. 33. num. 13. 15. 16. 17. Eccl. c. 14. num. 23. Mar. c. 8. num. 17. Io. c. 13. num. 17.*

Rationalis propterea ab ipſo dicitur ratiocinandi actu, quia ſicut non potentia de per ſe, ſed actu intelligendi intelligens dicitur homo. *Pſal. 13. n. 2. & 3. & Pſal. 52. n. 3. & 4.* Propheta dicente: *Proſpexit Dominus de cælo ſuper filios hominum, vt videret, ſi*

Digitized by Google

vllus eſset intelligens, aut requirens Deum, & huiuſmodi nullum inueniſſe dicit; intellectiuæ tamen omnes participes fuiſſe conſtat potentiæ: non nuda ſic etiam ratiocinandi potentia de per ſe, ſed ipſo ratiocinandi actu rationalis dicitur homo, nam, ſi verè non carne, vel ſenſu, ſed ratione, & intellectu homines ſumus, non nuda ſic etiam potentia, ſed actu rationales, & intelligentes ſumus *Gen. c.4. n.7. Mat. c. 15. n. 16.* vt ſuo loco latius dicetur propterea *Eccleſ. c.2. n.14. & c.8. n.p.* ſcriptum eſt: quod *oculi hominis*, rationis, videlicet, diſcurſus, & actus intelligendi, *debent eſſe ſemper in capite ipſius*, ideſt in omnis actus ſui exordio, vt eorum intuitus præceſſione ſingulis ſuis viam præſternẽs operibus. *Prou. d. c.4. n 25. 26. & 27.* in omnibus ijs præexcellentem, vt oportet, ſe exhibeat. *Eccl. c. 33. n. 23.* idcircò *Baruch. c. 3. n. 14* ait: *Diſce vbi ſit intellectus, & prudentia, vt ſcias ſimul vbi ſit oculorũ lumen, & vita*, quia, vt dictum eſt, conſilium, & prudentia proprij ſunt hominũ oculi, & oculi iſti illius ſunt vita. Qui ergo ſui nonpræmiſſo ante explicationem operis diſcurſu, & ex diſcurſu iudicatione elicita, num ea, quæ ſibi agenda ſunt, recta, & bona ſint, is malo mala conſpiciens oculo, malè agat oportet, quia huiuſmodi proceſſio operis non ab ipſo emerſit intellectu, noſtræ qui eſt principium cognitionis, propria quæ eſt humani noſtri acies oculi, qua cuncta prius, ea quam agamus inſpicere debemus, noſtri tamquam agendi motus principio *Sap. c.15. n.11. Prou. dd. c.4. n. 26. & c.8. n. 12. & 20.* ſed ab ipſo ſenſu, carnalis noſtri qui eſt acies oculi, animaliſq; omnis motus, ac brutorum more agendi principium, quorum vtroq; nequius nihil inueniri poteſt. *Eccl. c.31. num. 15. c.17. n. 30.* eorum propterea correſpectiuæ inſpectiones, & prudentiæ errata ſunt, mala, Deo inimica, atq; peccata. *Eccl. d.c.31. n.14. Apoſt. ad Rom. c.8. n.6. & 7.* E' contra verò, qui prius, quam operetur, præuio diſcurſu, & ratione animaduertit omnia, bono bona conſpiciens oculo cuncta benè agat, conſequens eſt. *Pſal. 4. n.6. & 7. Prou. c.3. n. 22. 23. 24. 25. & 26. & d. c. 4. numeris ſupracitatis*, quia à propria actus nullus poteſt eſſe diuerſus potentia, quoniam vna cum ipſo in eſſe formali ſuo vnum ſunt ſubſtantia tantum: bono igitur qui vident oculo, bona etiam agant, ea autem qui agunt, boni ſint, conſequens eſt, nam ſicut bonus eſt illis intellectus, qui faciunt, ſeu operantur illum, boni ſic ſunt illi, qui intellectus actuali præcogitatione, & iudicatione bona animad-

uer-

Digitized by Google

uertentes, faciunt illa *Pſal.* 110. *n.* 10. *Prou. c.* 28. *n.* 5. *Mat. c.* 7. *n.* 17. *&* 18. *c.* 12. *n.* 35. *Luc. c.* 6. *n.* 43. *&* 45.

Mali autem erunt qui non cogitant iudicium *Prou. d. c.* 28. *n.* 5. quia non bono intellectus, ſed malo ſenſus conſpicientes oculo mala faciant, conſequens eſt, ea autem facientes, fiant & ipſi mali, quia malo, quod faciunt, eorum agglutinatur anima, agglutinata autem, fit & ipſa nequam *Prou. c.* 13. *n.* 2. *Eccl. c.* 37. *n.* 30. *Bar. c.* 3. *n.* 4. *Mat. & Luc.* locis præcitatis. Si ergo præuio rationis diſcurſu, quid ſibi agendum eſſet, noſtri ante præcogitaſſent primi parentes, de vetito vtiq; non comediſſent ligno, ſed quia illud verè non hominis proprio, ſed ſenſibili dumtaxat animalitatis eſt intuita mulier oculo, ſtatim prolapſa cecidit, viroq; ſuo illud porrigens eum cadere fecit, de ea *Gen. c.* 3. *n.* 6. *&* 7. ſic ſcriptura dicente: *Vidit igitur mulier, quod lignum eſſet bonum ad veſcendum, pulchrum oculis, & aſpectu delectabile, tulitq; de fructu eius, & comedit, deditq; viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi eorum:* eos autem aperire aliud nil eſt, quam ea, quæ ab eorum per prius erant erepta obiectu, vel cognitione, eorum modo offerri obiectui, vel iam obiecta cognitioni eorum manifeſta fieri. *Num. c.* 22. *n.* 31. *&* 34. *Reg.* 4. *c.* 6. *n.* 16. 17. *&* 20. *Pſal.* 100. *n.* 3. *&* 4. *Luc. c.* 24. *n.* 31. Nulla autem cum prius obiectio, vel viſio poſſet eſſe malorũ, ipſa quam mala in reiũ cœpiſſent eſſe natura, conſequenter etiam ea videre non ante valebant, quam ipſa, cœpiſſent eſſe mala, eorum ideo oculi ad ea conſpicienda adaperti fuiſſe nondum dici poterant, repentina autem per diuini præuaricationem præcepti, noſtri omnis velut caput, & exordium mali, vniuerſalis tamquam cataclyſmi emerſione, & inundatione malorum, ſuper ſe, ac poſteros ſuos omnes, & conſequenter ſuper vniuerſum humanum graſſantis genus illorũ ſe offerentium, & manifeſtantium cognitioni, illicò eorũ adaperti fuiſſe dicuntur oculi, atq; bona, & mala vidiſſe, mala quidem illorum præſentia, fomite, & compunctione *Sap. c.* 5. *n.* 3. *Pſal.* 50. *n.* 4. *Prou. c.* 13. *n.* 21. *Eccl. c.* 27. *n.* 11. *c.* 40. *n.* 1. *&* 4. quibus inſtanter ſtimulati, quę, & quanta inter ea, & bona intereſſet diſtantia, & differentia lacrymabiliter ipſomet probantes cognouerunt facto: bona verò, eorum quoniam iucunditate priuati, & ſuperuenientium ſufferentia malorum, quæ, & quanta eorum fuiſſet iactura perpendentes, experimento didicerunt, ſine conſilio agendum nihil eſſe vnquam, ne poſt factum pœ-

niteat

niteat, & pœna ſequatur *Eccl. c. 32. n. 22. 23. & 24. c. 37. n. 17. & 20. c. 51. n. 24. Prou. c. 2. n. 11. c. 3. n. 21. c. 13. n. 10. c. 8. n. 12.*

In ligno igitur de eius non comedendo fructu præcepto poſitò, ipſius ſi ab ijs perpetuò fuiſſet ſeruata lex, ea, qua ab initio a Deo veſtiti fuerant, nunquam perſciſa fuiſſet ſtola innocentiæ, neq; quæ intus in dicto accluſa aſſeruabatur ligno iuxta ſe poſitorum inotuiſſet comparatiua ſcientia malorum, atq; bonorum *Prou. d. c. 13. n. 13. & 14. c. 29. n. 27. Ecclеſ. c. 8. n. 5.* Illius verò perſciſa lege, perſciſa quoq; manſit innocentiæ ſtola, qua diſciſa, eorum cognitioni continuò illorum apparuit nuditas *Eccl. c. 17. n. 3. Apoſt. ad Eph. d. c. 4. n. 24. Ier. c. 13. n. 22. & 26. Gen. c. 3. n. 7. Apoc. c. 3. n. 4. & 18. c. 16. n. 15. Iſa. c. 47. n. 2. & 3. Nah. c. 3. n. 5.*

Ad ſe ideo audientes venientem Deum abſconderunt ſe, quia proprium mala agentium eſt odiſſe lucem, ne in aperto eorum videantur opera mala *Io. c. 3. n. 20.* Deo propterea eos ad ſe vocanti reſpondit Adam: *vocem tuam audiui in paradiſo, & timui* (*timida .n. eſt nequitia omnis, quoniam* teſtimoniũ dat condemnationis *Sap. c. 4. n. 20. c. 17. n. 10.*) *eoq; quod nudus eſſem, abſcondi me*, cui Dominus ait: *Quis tibi indicauit, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* ecce ergo quomodo, rupto præcepto, dilacerata quoq; manſit innocentiæ tunica, qua diſciſa, eorum confeſtim aparuit nuditas, & verecundiora eorum reuelata manſerunt ita, vt ad ea celanda ſubtegmine eguerint *Ier. d. c. 13. n. 22. 26. Gen. d. c. 3. n. 11. & 7.*

Cum .n. per peccatum in peccati incidiſſent ſeruitutem *Io. c. 8. n. 34. Apoſt. ad Rom. c. 6. n. 16. Pet. 2. c. 2. n. 19.* ſub eius conſtituti iugo acie oculi illius nequiſſima nequitias omnes, ac ad eas media cuncta ſuggerente iniquitatis, quaſdam eorum corporis partes in eiuſdem malitia, & fomite peccati inſtrumenta, & vaſa eſſe poſſe contemplantes inhoneſtatis, eas erubeſcere cœperunt, perizomateq; illas cohoneſtare verecundia compulſi ſunt. *Apoſt. p. ad Cor. c. 12. n. 23. Gen. d. c. 3. n. 7.* In quemcumq; .n. quodcumq; irrepſerit peccatum in eum eius impreſſum reliquit oculum nequam, quo ſe ipſum, eiuſq; omnem patefaciens nugationis ſemitam, atq; omnium eius ſpectra ſimilitudinum ad ſe illum allicientium videre facit: nam & Lucifer in ſuperbiam ſe erigens ſuperbię oculo omne ſublime videre cœpit. *Iſa. c. 14. n. 12. 13. & 14. Iob c. 41. n. 25.* vanus .n. quid, quod ad vanitatem pertineat, & accom-

commodatum ſit, non videt? quid ſalax? quid his cæteri ſimiles? *Ier. c.2.n 5. Amos c.6.n.4. & ſeq. Eccl.c.17.n.29.c.23.n.8. Iob c.11. n.12. c.24.n.15. & ſeq. vſq; ad fin. cap. oculus n. malus eſt ad mala pronus, & inſatiabilis in parte iniquitatis. Eccl. c. 14. n. 9. & 10.* quod quidem contingit ex vi, & potentia quadam à Diabolo omnium vitiorum patre in animum eorum, in quos huiuſmodi ſpeciei iniecerit vitia, ne vlla eis vnquam deficiat materia, vel occaſio peccandi, quoniam vult, vt *ſe imitentur hi, qui ſunt ex parte illius. Sap. c.2. n.25. Io. c.8. n. 38.41. & 44. & eiuſdem p. c. 3. n. 8. & 10.* quem fomitem appellamus. Altera ex parte omnipotens Deus ex eius infinita miſeratione in animo noſtro oculum alium adapertum eſſe voluit, vt ipſum peccatum tamquam tenebram in comparatione iuſtitiæ vti lucis animaduerſum horreſcentes, ad iuſtitiæ lucem reuerti, pœnitentiæq; lacrymas educere promptiores eſſemus *Eccl. d. c.17. n.7. Iſa. c. 30. n. 20. 21.* At quemadmodum, dioptra rectè qui vtitur, deſtinatum vt petat ſcopum, alterum occludat oculum neceſſe eſt, alterius vt directione ſecuriorem iaciat ictum: ſic clariori vt mentis acie quis veritatem, & iuſtitiam collimet, nequitiæ, ac paſſionum animi oculum occluſerit, oportet *Pſal.118.n.9.* ſicut à Domino erudimur *Mat.c.6.n.23.* dicente: *Si lumen, quod eſt in te* (ideſt, ſi oculo, cuius acie, quæ tibi proponuntur, indagare cupis) *tenebræ fuerint*, ideſt nequitiæ oculus *Eccl. c. 19. n. 22. & 19. ipſa tenebræ*, ideſt collimatæ rei caligines, *quantæ erunt?* quaſi dicat, innumerabiles, quia tenebræ tenebras fouent, protegunt, & augent *Iob c.40. n. 17.* Si autem lumen fuerint: totum corpus lucidũ erit, quod vt ſit, faciat Deus. Hi ergo (vt opinamur) oculi fuerunt illi, qui primis parentibus noſtris adaperti fuerunt, quibus ſe cognouerunt eſſe nudos, lignumq; vetitum ipſa boni, & mali ſcientiæ arbor: ſi ita: ſit in Domino, Amen, cui laus, gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum Amen.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo hi, in præſenti qui ſæculo in libris Dei dicuntur eſſe deſcripti, diebus formatis non ſint amplius extituri in eis, iuxta *Pſal.* 138. *num.* 16.

Quæſtio ordine ſexta.

PRo cuius ſatisfactione retento themate figuræ nobis ibi à Spiritu Sancto repræheſentatę, breuiter dici poteſt. Quod opera cuncta, quæ ab omnibus, & ſingulis fuerint facta hominibus in toto eorum vitæ curſu in iudicium ſit adducturus Deus, vbiq; in ſacra legitur pagina, & præſertim *Eccleſ. c.* 12. *n.* 14. *Vnuſquiſq; enim ante tribunal Dei conſtituendus eſt de ſuis redditurus rationem operibus, ſiue bonis, ſiue malis Eccleſ. c.* 11. *n.* 9. *Apoſt. ad Rom. c.* 14. *n.* 10. *&* 12. *P. ad Cor. c.* 3. *n.* 8. *ſecunda ad eoſdem c.* 5. *n.* 10. *ad Gal. c.* 6. *n.* 5. *& ſeq.* vt ex ijs, quæ ab vnoquoq; facta fuerint iuſta appareat Chriſti iudicantis ſententia, & ſententiandus quiſq; ex propriorum operum, ſiue bonorum merito, ſiue malorum demerito, vel mercedem, vel pœnam conſequatur tamquam bonæ, vel prauæ ſuæ negotiationis pręmiũ, ſeu retributionẽ *Pſal.* 61. *n.* 13. *Eccl. c.* 16. *n.* 13. *&* 15. *c.* 17. *n.* 19. *c.* 35. *n.* 24. *Iſa. c.* 3. *n.* 10. *&* 11. *Mat. c.* 16. *n.* 27. *c.* 25. *n.* 34. *&* 41. *Act. Apoſt. c.* 17. *n.* 31. *Apoſt. ad Rom. c.* 2. *n.* 6. *ſecunda ad Cor. c.* 11. *n.* 15. 2. *ad Tim. c.* 4. *n.* 8. *Ad Heb. c.* 6. *n.* 10. *Apoc. c.* 21. *n.* 7. *&* 8. *c.* 22. *n.* 12. quoniam dies hominis ſunt, tamquã dies mercenarij, in quibus eius durante vita talenta omnia ſibi a Deo tradita negotiari debet, vt eorum fructibus in theſauris triumphantis Eccleſiæ repoſitis, poſt obitum eius, in æternum fruatur, lætetur, & gaudeat, ſin autem iuxta otioſæ negotiationis demeriti pondus, & menſurã plectatur *Iob c.* 7. *n. p. Mat c.* 25. *n.* 13. *& ſeq. vſq; ad* 31 *c.* 6. *n.* 20. *Luc. c.* 19. *n.* 12. *& ſeq. vſq; ad* 27. *c.* 12. *n.* 33. *Prou. c. p. n.* 31. *Apoſt. p. ad Tim. c.* 6. *n.* 19. *Apoc. c* 21. *n.* 24.

Quod, vt, quantum prouidenter à Domino faciendum eſset, nobis manifeſtaretur, nobis in figura repræſentatur, quod in eius libro magno omnes, & omnium omnia, & ſingula exarentur hominum opera, vt ex eis, quæ ibi poſtea deſcripta reperta fuiſsent,

in fine

Digitized by Google

in fine ſæculi iudicandus eſset quiſq; quando Deus videlicet occulta cordium noſtrorum manifeſtaturus eſset, vt ait *Apoſt. p. ad Cor. c. 4. n. 5.* propterea in præfato *verſ. 16. Pſal. 138.* dicitur *In libro tuo deſcribentur omnes, ac etiam eorum opera cuncta, vt ſubiungit Zach. c. 5. n. 2. & 3.* vt ex eo, quod poſtea ibi deſcriptum fuiſſe inuentum diceretur, iudicium fieret in pondere, & iuſtitia in menſura *Iſa. c. 28. n. 17.* & hic liber eſt ille, de quo Sancta Mater canit Eccleſia dicens:

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde Mundus iudicetur.

Hic autem Dei liber vnus, & plures diuerſis poteſt dici reſpectibus: vnus quidem liber magnus, in quo omnium nomina deſcribuntur hominum, eorumq; operá cuncta ſiue bona, ſiue mala fuerint. In eo autem ſicut vniuſcuiuſq; hominis operum partita ſub peculiari eius, cuius eſt, nomine locum præcipuum tenet, in quo ex illius vniuerſitate bonorum, & malorum ſupputationes fient, vt ex ijs quantum quiſq; boni, & mali in vita ſua egerit, conſtet, vt ex præfatis ſummis ſic, vt ſupra, ſupputatis, id ſi ratio expopoſcerit, fiat ſubductio boni à malo, vel mali à bono, prout alteri altera excedere inuenta fuerit, vt ex præfato boni, vel mali exceſſu quantum quiſq; meriti, vel demeriti remanſerit creditor, vel debitor appareat. Verum, licet mala, & bona hæc ab vno æquè proceſserint,& procedant agente finito: mala tamen,quoniam obiectum ſemper feriunt æternum, æternæ quoq; ſunt ſemper obnoxia culpæ, & conſequenter eius correſpectiuæ damnationi. Bona verò, quæ obiectum hoc non ſemper tangunt æternum, quia, vel non omnia mandata *Iſa. c. 6. n. 20. c. 7. n. 22. & 23.* etſi mandata: non propter mandatum, *Eccl. c. 35. n. 7. Mat. c. 7. n. 24.* vel non ſtudioſè, vt oportet, ſed negligenter *Reg. 4. c. 10. n. 30. Prou. c. 13. n. 13.* vel in peccato acta *Amos c. 5. n. 22. & ſeq. Malach. c. 2. n. 13.* vel ſaltem non in Deo facta *Io. c. 3. n. 21.* non æternum ideo ſemper habent meritum, meritiue pondus, & præmium, quoniam tamen nō poſsunt ab eodem non eſse acta agente, ab eo cum re vera proceſserint, ex ſumma Deí æquitate quandam poſsunt accidentalis indulgentiæ habere conſiderationem,

vt quaſdam quandoq; valeant portiunculas minuere accidentalis pœnæ temporalis, vel alias in aliquo præmiari iuxta rectum iudicantis iudicium: ſicut & mala reſpectu alicuius circumſtantiæ, vel accidentiæ vltra æternam culpam, quam ſecum habere diximus, accidentalia quædam etiam poſſunt recipere additamenta, quorum reſpectu pœna ſenſus, ſiuè æterna, ſiue ex æterna in temporalem commutata augeri, meritaue bonorum in accidentalibus minui iuxta perfectiſſimum Dei iudicium, qui imperfectum noſtrum perfectiſſimè videt eodem *Pſal.* 138. *n.* 16. vt noſtra in pondere, & menſura contingat iudicatio, eo quod nullum remaneat bonum irremuneratum, vel malum impunitum *Iſa.d.c.* 28. *n.*17. *Mat. c.*10. *n.*42. *Iob c.*9. *n.*28. *Apoſt. ad Eph. c.*6. *n.*8. *ad Col. c.* 3. *n.* 25. Verum, quoniam æternæ culpæ noſtræ nullo poſſunt præponderare, vel æquiualere opera noſtra bona modo, niſi in virtute meritorum Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia fractura noſtra natura eſt inſanabilis *Ier. c.* 13. *n.* 23. *c.* 30. *n.* 12. 13. 14. *&* 15. *c.*31. *n.*18.

Quorum ideo partitæ finalis ſummæ culparum ex prædictis D. N. I. Chriſti meritis nullo fuerit ſatisfactum modo, dicta eorum partita ſummæ culparum cum correſpondente earum pondere pœnarum, tam damni, quam ſenſus etiam in accidentalibus illius partibus ſeorſum in dicti libri peculiari loco adnotatur, in aliumue tranſpo tata reponitur, ſeu reponi dicitur librum, qui & damnandorum, ſeu maledictionis poteſt dici liber, quia, in eo qui deſcripti ſunt, maledicendi ſunt. *Zach. c.* 5. *n.* 3. *Mat. c.*25. *n.* 41. *Pſal.*68. *n.*29.

Quorum verò partitæ ſummæ finalis culparum ex prædictis meritis Paſſionis D.N.I. Chriſti fuerit ſatisfactum, vel in ijſdem à peccatis fuerint præſeruati meritis ſeorſum in aliũ dicti libri peculiarem locum, in aliumue ſingularem reponi dicitur librum. *Malach. c.* 3. *n.* 16. 17. qui liber vocatur vitæ Agni, quia in eo qui deſcripti ſunt, vitæ illius facti ſunt participes. *Mat. c.*11. *n.*25. *Luc. c.*10. *n.*20. *ad Philip. c.*4. *n.*3. *Apoc c.*3. *n.*3. *c.*13. *n.*8. *c.*20. *n.*15. *c.*21. *n.*27. ex quibus ſic obiter prælibatis manifeſtiſſimè patet, quod hic Dei liber vnus, & plures his poteſt dici reſpectibus, cui conſentiunt multæ ſcripturarum ſacrarum auctoritates eum modo in ſingulari, modo in plurali, vt ſupra, nuncupantes *Exod. c.*32. *n.* 32. *Zach. d. c.* 5. *n.* 3. *Apoc. c.* 20. *n.* 12. *Dan. c.* 7. *n.* 10. *c.* 12. *n. p. Iob c.* 31. *n.*35.

Digitized by Google

n.35. Non mirum ergo videri debet, ſi in *Verſ. præd.16. Pſal.* 138. à nobis exponendo in principio in ſingulari numero dicat: *In libro tuo ſcribentur omnes:* & in fine in plurali numero dicat: *& nemo in eis.*

Hac particula explicita ad aliam accedentes dicimus: quod dies alij ſunt hominis, huius præſentis, videlicet, ſæculi humana hac noſtra generatione durante *Ier. c.17. n.16. & Eccl. c.18. n.8.* quorum ſeries, & viciſſitudo, ſæculo etiam hoc durante deficiet nunquam. *Gen. c.8. n.22. Ier. c. 31. n. 35. & 36. c. 33. n.20. Pſal. 118. n.91. Iob c.26. n.10.*

Subſtantialis autem cauſa diei ipſa cum ſit lux, noctis autem tenebræ, eo quod nil aliud ſit dies, quam lucis præſentia, nox verò, ipſa quam ſuperuenientia, ſeu præſentia tenebrarum, luce nam recedente ſtatim emergunt tenebræ, emergenteq; luce confeſtim euaneſcunt tenebræ, vnius quia poſitio, alterius eſt priuatio, & è contra. Illorum verò cauſa formalis eorum ſit ab inuicem ſectio, & à Deo facta ſeparatio, ideo lux ſeorſum à tenebris dies, tenebræ verò ſeorſum à luce nox dicuntur *Gen. c. p. n.4. & 5. Pſal.103. n.20. Eccl. c.33. n.7. & 8.*

Viciſſitudinis verò dierum, & noctium cauſa ſucceſſiuus ipſe ſit Solis, Lunæ, aliarumquè Stellarũ motus, nam in Sole cum à Deo fuerit poſita lux, cuius præſentiam diximus eſſe diem, illum ergo motu ſuper horizontem ferente confeſtim ipſa eluceſcit dies, propterea dicimus: quod quando Sol eſt ſuper horizontem dies eſt, cuius acceſſus ortum, receſſus autem occaſum appellamus, quoniam inter illas tamquam illuminationis illius extremas partes tota ipſa clauditur dies, ideo in ſacris canticis legimus: *Qui mane iunctum veſperi diem vocari præcipis:* per illius verò abſentiam ipſa conſtituitur nox, nam Sole, in quo ſita eſt lux, ab horizonte viſo cum luce ſua dicto medio recedente motu tenebrę ſuccedant, conſequens eſt, quæ eouſq; protrahuntur, donec rurſus Sol ſuper eumdem feratur horizontem *Gen. d. c. p. n. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. d. Pſal.103. n.22. & 23. Eccl. c.42. n.16. c. 43. n 5. Ier. c.31. n.35.*

Pluralitatis autem dierum cauſa ipſa ſit ſucceſſiua interpoſitio noctis inter diem, & diem, quæ ſe per ſucceſſiuum huius viciſſitudinis motum, pluries interponens, plures facit ſectiones, per quarum pluralitatem, pluralitas quoq; efficitur dierum. Harum verò

Digitized by Google

pluralitatis ſectionum cauſa ipſa eſt temporis effluxio, quæ durare debet ſemper hoc ſæculo durante. *Gen. d.c.8.n.22. Ier. c.33.n.20. & 25. Eccl. c.33.n.7. & 8. Pſal.118.n.91.*

Hinc patet, quod dies ſæculi ſunt plures. *Num. c.14.n.34. Pſal. 89.n.10. 14. & 15. Eccl. c. p. n. 2. Ier. c.2.n.32. Ezech. c.4.n.5. & 6.* Qui etſi omnes vno effingantur lumine Solis, & propter hoc vno omnes appellentur nomine dies, cum tamen non omnes vno æquali conſtent temporis interuallo, quia Sol circa Zodiacum ab æquinoctialibus per ſinuoſas ſpiras ad tropica ſe circumuoluens puncta ſuper horizontem inæquales ſemper conſtituat arcus, inæquales etiam conſtituat dies, conſequens eſt, vno nec omnes conſiſtenti conſtent tempore quoquam, immo, niſi imaginario, conſtent tempore nullo, quia eorum portio, vel effluxa, vel effluxura, vel effluens eſt, eius autem, quæ effluxit, cum nec ſit, nec futura ſit, effluxura verò, nec fuerit, nec ſit, non entium autem cum ſit forma nulla, nullam formam habeant, conſequens eſt, eius verò, quam effluentem eſſe dicimus, cum omnia, quæ præceſſerunt momenta non ſint amplius, quæ autem ſucceſſura ſunt, nondum exiſtentiam habeant vllam, quod verò præſens dicimus eius eſſe momentum non prius eſſe cœperit, quam deſinat eſſe, non magis, quam animam expirantis vitæ formam habeat, nobis ipſa manifeſtat ratio *Iob c. 7. n. 16. c. 10. n. 19. Eccl. c. 34. num.30.*

Cum ergo huius dies ſæculi ita, vt diximus; ſint informes, atq; inconſtantes, & Pſalmi noſtri ſint auctoritate formandi, & ad conſiſtentiam redigendi, quando, & quomodo id faciendum ſit, videamus oportet. Et certum eſt, quod hæc fiet formatio dierum poſt iudicium vniuerſale, quia tunc temporis recedent vetera, & noua fient omnia *Iſa. c.65.n.17. c.66.n.22. Apoc. c.21.n.4. & 5. Pet.2. c.3. n.13.*

Cum ergo tempus, cuius diſcurſum motus Solis, & Lunæ, ac reliquarum Stellarum cauſam eſſe diximus, earum verò motum ſectionis ab inuicem dierum, ac noctium, alternationiſq; ac viciſſitudinis earum, cumq; pariter nox, cuius interpoſitionem inter diem, & diem eorum eſſe cauſam pluralitatis, poſt vniuerſale iudicium penitus ceſſare debeant, ex pluribus vna tantum ſit euaſura dies, conſequens eſt. *Apoc. c.10. n.6. c. 21. n.23. & 25. c. 22. n.5. Dan. c.8. n.19. Iob c.26. n.10. c.28. n.3. Eccl. c.18. n.8.*

Cumq;

Cumq; rurſus luce Solis, quam cauſam dierum ſæculi pariter eſſe diximus, ad huius vnius formandæ illuminationem diei futura non ſit ampliùs neceſſaria, cum illa Dei æterna ſit illuminanda luce, non amplius etiam caduca, & labilis, ſed æterna ſit illa futura dies, conſequens eſt *Iſa. c. 60. n. 19. & 20. Apoc. d. c. 21. n. 25. c. 22. n. 5. Iob c. 26. n. 10.* temporis .n. ceſſante curſu ceſſet motus: motu ceſſante dierum, & noctium ceſſet alternatio: noctiſq; intercapedine inter diem, & diem adempta ipſa dierum ceſſet pluralitas: pro luce Solis Dei æterna ſuffecta claritate vnà tantum fiat æterna dies, conſequens eſt. Hinc manifeſtiſſimè patet, quod poſt vniuerſale iudicium, ea, qua ſupra, methodo, & ratione dies formabuntur ſæculi, & de pluribus vna: de caducis, & labilibus perennis, & æterna formata manebit, quoniam formæ proprium eſt vnum eius, cuius eſt illa facere qualitatis, quia quemadmodum illa vna eſt, & indiuiſibilis, ab omni alia diſtincta, & ſeparata, ſic à ſe formato dat eſſe vnum indiuiſibile ab omni alio diſtinctum, & ſeparatum, ab æterna ergo Dei illuminanda luce, æterna erit illa illuminata dies, non amplius ſæculi, *ſed æternitatis Pet. 2. c. 3. n. 18. Eccleſ. c. 12. n. 5. Eccl. c. 18. n. 8.*

Cum igitur deſcriptionis nominum hominum omnium, & cunctorum operum illorum in libris Dei ſæculo vigente fierent in hunc finem, & effectum, vt ex ijs, quæ ibi ſcripta reperirentur, vniuerſale formaretur iudicium, vt vnicuiq; ſecundum ibi adnotata meritorum, & demeritorum credita, & debita in præmijs, & pœnis ad amuſſim ſoluerentur, cōſequenter etiam iudicio hoc celebrato, & omni crediti, & debiti partita ibi adnotata iam exſoluta, ſæculoq; finito, ibi omnia quæ adnotata erant, caſſa maneant, ipſa poſtulat ratio, quia ceſſante ratione, & cauſa conficiendæ eiuſdem adnotationis operum, illorum etiam caſſa, & abolita maneat ſcriptura, conſequens eſt. *Exod. c. 32. n. 33. Apoc. c. 3. n. 5. l. quod dictum eſt ff. de pact. l. adigere §. quamuis ff. de iure patr.* Nam ſi hoc celebrato iudicio omne opus corruptibile deficere debet, & qui operatus eſt illud ire cum illo *Eccl. c. 14. n.* 20. damnatorum conſequenter opus ſi cum ijs in infernum iturum eſt, vt ex eo, quantam ſit paſſurus pœnam, videatur, à libris etiam Dei ablatum iri, conſequens eſt *Sap. c. 14. n. 10. Mat. c. 25. n. 46.* propterea *Pſal. 72. n. 20.* ſcriptum eſt: *Quod ipſorum imagines, & conſequenter eorum opera, ad nihilum rediget Deus in Ciuitate ſua*, quia è libris eius delebuntur

buntur

Digitized by Google

buntur nomina eorum in æternum,& corruptibilia opera eorum ſimul, quia indigna ſunt, vt ibi conſpiciantur, vbi coinquinatum nihil eſſe poteſt *d. Exod. c. 32. n. 33. Apoc. c. 21. n. 27. c. 22. n. 15. cum alijs ſuperius alleg.*

Et tandem ſi omne opus electum iuſtificabitur, & qui operatus eſt illud, ſecum illud afferet, vt honoretur in illo. *Eccl. d. c. 14. n. 21. Iſa. c. 60. n. 9. & 11. Apoc. d. c. 21. n. 26.*

Conſequenter etiã ſi nomina, & opera ipſorum cum ipſis ibunt in æternum, in libris Dei non amplius adnotata maneant, conſequens eſt. Ecce ergo, vt in dicto *Pſal. 138. num. 16. ſcriptum legitur. Quod in libro, ſeu libris Dei ſcribentur omnes, donec formentur dies ſaculi, quibus formatis nemo amplius reperietur in eis, cuius expoſitio ſit in gloriam Dei. Amen.*

LAVS DEO.

Quæ

Quæ magis notanda ſunt in hiſce quarta, quinta, & ſexta quæſt.

	Errata.	*Correcta.*
Pag. 12. lin. 27.	quemadmodnm	quemadmodum
Pag. 13. lin. 5.	*Pſal.*118. *n.*12.	*Pſal.*118. *n.*21.
Pag. ibid. lin. 24.	in bello autem impius	in bello autem ſi impius
Pag. ibid. lin. 30.	poterimns	poterimus
Pag. 18. lin. 31.	*Mat. d.*7.	*Mat. d. c.*7.
Pag. 21. lin 35.	contemplabile	contemptibile
Pag. 22. lin. 3.	quoniam franget,	quoniam franget eam,

Vidit D. Carolus Goranus Pœnitent. pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.Card. Boncompagno Archiep. Bonon. & Princ.

Imprimatur.

Fr. Ioannes Vincentius de Paulinis à Garrexio Inquiſit. General. S. Offic. Bonon.

Digitized by Google